Prof. Dr. K. Lampert

Sacerdotis [illegible] Rosa

Anno Domini 1846

9. Sept.

DE ORATORIIS PUBLICIS
TRACTATUS
HISTORICO-CANONICUS

AUCTORE
DON JOSEPHO DE BONIS
MEDIOLANENSI
EX ORDINE CLER. REG. S. PAULI
SAC. THEOL., ET SS. CANONUM PROFESSORE

REVERENDISSIMO PATRI
DON PIO MANZADOR
EJUSDEM ORDINIS
PRAEPOSITO GENERALI
D. D.

MEDIOLANI MDCCLXI.
Typis Joannis Bapt. Bianchi .)o(*Superiorum Facultate.*

REVERENDISSIMO PATRI

DON PIO MANZADOR

CONGREGATIONIS CLER. REG. S. PAULI

PRAEPOSITO GENERALI

DON JOSEPHUS DE BONIS

FELICITATEM.

Optimum plane, probatumque conſilium cujuſque generis Scriptoribus jam pridem inhaeſit, ut laboribus ſuis praeclarum aliquem Patronum deligerent, tum ut eruditione, auctoritate, poteſtateque adverſus intemperantioris Critices amatores munirentur; tum ut quibus, quantiſque Viris probentur lucubrationes ſuae, publico teſtimonio palam facerent. Cum idem conſilium mihi quoque inſederit, tum nihil feli-

cius,

cius , laetiuſque obtigit , quam ea , quae tandem ceſſit , expectatiſſima dies , in qua modernis totius Ordinis noſtri Comitiis , qui primum omnibus Inſtituti dignitatibus , & honoribus auctus nitebas , REVERENDISSIME PATER , in hac ipſa Urbe florentiſſima electus es in Praepoſitum Generalem Ordinis , ſummis omnium noſtrum , immo & Procerum , ac exterorum plauſibus , & gratulatione . Protinus enim par viſus ſum ipſe mihi , ut quam Te ego prae ceteris colam , oſtenderem , tuumque patrocinium adſciſcerem prioribus meis , qui prodeunt , de Jure Canonico laboribus . Publicam hanc igitur obſequii teſtificandi opportunitatem quaſi mihi divinitus oblatam accipio ; neque enim alia velim de cauſſa exiſtimes hanc obſervantiae in Te meae ſignificationem , quam propter Te ipſum , virtutumque , quibus emicas , merita , perhiberi . Quis enim tui ignorat ingenii praeſtantiam , atque vim ? Quis neſcit , quae tua ſit doctrina ? Quae ſubtilitas judicii ? Quae integritas aeſtimationis ? Sacrae illae Orationes in honorem Divorum , & Conciones polemicae , quae typis prodiere , abunde prae ſe ferunt animum zelo incenſum , opus ingenio perfectum , elaboratum ſtudio , & ſelectae eruditionis copia exuberans , ſuiſque abſolutum numeris , atque partibus . Illa ipſa in editis Orationibus mirifice elucet ſapientia , atque eloquentia ſingularis , quam ad plures continuata ſerie conjunctos annos Viennenſis Civitas celeberrima , Sedes Imperii , ſuſpexit in Te , dum praedicandi munere fungens , integras Quadrageſimas

tran-

tranſegiſti , nova in ſingulas argumenta , & argumentorum ordinem adornans . In quo quidem quanta cum ingenii laude , quanta cum doctrinae ubertate , quanto denique cum animarum fructu , virtutum incremento , vitiorum profligatione , aeternae ſalutis fenore verſatus ſis , norunt Viennenſes Cives , qui Te concionantem audire geſtiverunt ſemper frequentiſſimi, & nunquam non tuo allecti dicendi genere , nitido , efficaci , ad commovendos animos accommodato . Quare & publicis , & privatis colloquiis plurimos quoque haereſum labe pollutos , errorumque tenebris obvolutos, quos ad Fidem Divinam revocare alii non infimae notae docti Viri niſi ſunt , ad Catholicae veritatis puritatem perduxiſti , & in Religionis noſtrae lumen , libertatemque vindicaſti . Nec me latet doctrinae tuae amplitudinem , ſermoniſque energiam non ſolum e rudiorum corde haereſim , divina ope afflante , evulſiſſe ; ſed etiam viros nobilitate generis , praeſtantia poteſtatis , ſcientiarum ornamento illuſtres , ad eam ejurandam pertraxiſſe . Eximia enim praefulges Sacrarum Scripturarum eruditione , in pervolvendis Sanctorum Patrum Voluminibus , & aſſequenda eorum mente peritia , ac verae doctrinae Eccleſiae , & penitioris Theologiae cognitione . Quid vero dicam de incredibili bonarum artium amore , & ſedulitate dexterrima , qua ſtudia Ordinis noſtri in Germania perficere ſatagebas , ad uberiorem promovens utilitatem , atque elegantiam ? Tu ipſe , AMPLISSIME PRAESUL , animos addidiſti , ut ea in Provincia

Noſtrates apprime vacarent ſtudio etiam Linguarum Orientalium, & ea, qua par eſt, contentione Jus Canonicum excolerent, cujus publicis in Diſputationibus honorifica exhibentur ſpecimina, & quo Tu delectaris plurimum, atque excellis. Laudum tuarum omnium admirabilis conſociatio eſt, ex quibus illa magni, omnique virtute ornati Viri ſpecies effloreſcit; omnes enim, & egregiae artes, quae ad humanitatem ſpectant, & dotes, quae ad efficiendam, conflandamque hominis excellentiam pertinent, quoddam habent commune vinculum; & quaſi cognatione quadam inter ſe continentur ſcientia, eruditio, prudentia, religio, fides, & in optima quaeque voluntatis inclinatio. Nam & ſuavi a natura ingenio donatus es, & eleganti in rebus gerendis judicio, & dexteritate, & peculiari antecellis facilitate morum, & ſumma, quod caput eſt, mentis probitate vales. De quibus cum Te multi amant, tum CLEMENTISSIMA NOSTRUM DOMINA REGINA IMPERATRIX MARIA THERESIA APOSTOLICA *praecipua proſequitur benevolentia. Nec quot in Te propenſae voluntatis teſtimonia praeſtiterit, dicam hoc loco; ſentio enim neque paucis ea poſſe complecti; neque ſi maxime poſſent, ea Tibi ſatis grata contingerent pro ea, quae verae virtutis ſemper comes eſt, modeſtia. At illud ſaltem commemorare patiaris, eandem AUGUSTISSIMAM DOMINAM conſilii tui, prudentiae, fidei, ſapientiae, minime ignaram, Te uſam eſſe in graviſſimis negotiis, Tibi ardua munia demandaſſe, quibus cum lau-*

de

de perfunctus, *ampliores benevolentiae ſignificationes retuliſti*. *Quid quod accepto dignitatis ſupremae Ordinis Tibi collatae nuncio*, *hoc ſibi* pergratum *obtingere teſtata eſt*, *miſſis ad Te Regiis Imperialibus Litteris*, *adjectaque cauſſa*, CUM PERSPECTA NOBIS RELIGIO, PRUDENTIAQUE VESTRA SPEM NOBIS FACIAT INDUBIAM, SUB VESTRO REGIMINE RELIGIOSO COETUI VESTRO, CUI FAVEMUS MAGNOPERE, FAUSTA OMNIA, ET PROSPERA EVENTURA: QUOD QUIDEM OPTAMUS EX ANIMO. *Quumque Te* HONORABILEM, RELIGIOSUM, DEVOTUM, DILECTUM *appellaverit*, *addidit etiam*, *ſibi proinde abſentiam tuam unice ingratam fore*: VOS VERO CELARE NOLUMUS, NOS QUANTUM DIGNITATE VESTRA LAETAMUR, AEGRE TAMEN ABSENTIAM VESTRAM FERRE: *quod & poſtmodum ore ſuo coram affirmavit*. *His autem beneficiis cumulus acceſſit*, *dum Tibi benevolentiam ſuam confirmavit*, *& per Te Congregationi univerſae*, *ad quam moderandam nemine non approbante nuper es evectus*: *quanta enim laetitiae cauſſa*, *& felicitatis ſpes affulget ex iis vocibus*: CETERUM VOBIS, ORDINIQUE VESTRO GRATIAM, ET BENEVOLENTIAM NOSTRAM CAESAREAM CONFIRMAMUS UBERRIMAM? *Quid enim tantae PATRONAE clementia dignius*? *Quid pro Congregatione eidem devinctiſſima optatius*? *aut tuo nomini magis honorificum*? *Quum autem illa ipſa virtutis tuae opinio omnium animos jam diu occupaverit*, *tuaeque laudes Aulam ſubierint*, *nemo miratur*, *Te ad Imperatoriam Viennae Civitatem remean-*

tem

tem a Proceribus , & Optimatibus frequentiſſimo ſpectante , & plaudente populo exceptum fuiſſe , ac deductum ſummo cum honore , ac prope inuſitato . Plura alia nominis tui , tuique praeclari generis decora , ac virtutum ornamenta conſulto praetereo , ne in re ſatis perſpicua diutius verſari videar . Quibus omnibus novam lucem attulit modeſtia illa tua , qua nihil tot , tantiſque promeritis , & honoribus commotus , comitatis , humilitatis , charitatis , tuique in omnes ſtudii argumenta effundis ; nihil enim fortunae amplitudo mutavit , ut verbo dicam Plinii , niſi ut prodeſſe tantummodo poſſes , & velles. *Praeſtantes equidem Viros ipſa ultro admonet natura , ut ſe ſentiant communi bono eſſe natos ; nihil enim fere habet privatum magna indoles . Hinc ſollicitudo effluxit , qua Collegiis ſingulis Congregationis regundis Viros perquam idoneos praeficere curaſti , & eidem felicius moderandae Tui loco in Vicarium Generalem plena cum poteſtate delegiſti P. D. SALVATOREM ANDRIANI , Virum ingenio , prudentia , rebus geſtis ornatiſſimum , antehac hujus Imperatorii Nobilium Collegii Moderatorem , nunc vero Procuratorem Generalem , cui me pluribus nominibus devinctiſſimum profiteor . Quare ea multa ſunt , ex quibus* Tractatum *hunc* Hiſtorico-Canonicum de Oratoriis publicis *jure ad Te datum omnes intelligent , qui animadverterint , quae ſint animo tuo vires , quae in omni prope doctrinae genere peritia , quantuſque in Jus Eccleſiaſticum , & ſeveriores Diſciplinas amor , &*

de-

deſiderium, & quam fervens publicae felicitatis ſtudium; & quam inde opportunum mihi, & Operi, quod praefatione tui nominis honeſtatum eſt, ſis praeſtiturus praeſidium auctoritatis tuae. Tu melius, PRAESUL AMPLISSIME, pretium aeſtimabis, non muneris noſtri, quod exiguum, at officii: quod ut pergratum habeas, demiſſe rogo; neque enim quidquam de tua humanitate diffido; atque id enixe a bonis Superis exoro, ut Te videlicet tam fauſte fortunent, quam virtutes tuae, & quam ardenter voluntatis meae vota poſtulant.

Mediolani ex Collegio Nobilium Imperatorio Kal. Quint. MDCCLXI.

PRAEFATIO.

IN ipſo Operis limine paucis enarrare, quae ſit illius origo, quis fructus, & ratio, conſtitui. Ab Operis origine ordior, ut Lector mox intelligat, me ad hunc *Tractatum Hiſtorico-Canonicum de Oratoriis publicis* elaborandum, motum non fuiſſe effraena ſcribendi libidine, quam publico commodo, reique litterariae valde pernicioſam eſſe, haud ignoro. Etenim tractatio de Oratoriis, ubi divinum Miſſae Sacrificium peragitur, perutilis ſane eſt; plurimique de Oratoriis privatis, ſive domeſticis tam Praeſulum Eccleſiae, quam Nobilium Familiarum ne dum recentiores, ſed etiam veteres Auctores agendum duxerunt; ac utriſque luculentius in hoc argumento adornando laboravit eruditiſſimus Abbas Canonicus Regularis Lateranenſis Joannes Bapt. Gattico, qui Librum ſuum Sapientiſſimo Pontifici BENEDICTO XIV. nuncupavit. Verum de publicis Oratoriis, quo-

rum argumentum ad Canoniſtas maxime ſpectat, nemo hactenus, quod ſciam, plenum Opus, vel quae ſaltem praecipue deſiderantur, exhibuit. Quinimo quantumvis perantiqua ſit publicorum Oratoriorum origo, pauca admodum priſci, paulo plura recentiores Canonum periti ſuis in Voluminibus praebuere. Quapropter hac aetate, qua ingenti cum Reipublicae utilitate, plurima in quavis Facultate & detecta, & explicata, confirmataque ſunt uberrime, & qua etiam Juris Canonici magna facta eſt acceſſio; adhuc tamen fruſtra quaeritur copioſa, & accurata de Oratoriis publicis diſſertatio; cum tamen notiones, quae ad haec Oratoria pertinent, prae notionibus ad privata Oratoria ſpectantibus neceſſariae ſint, & ampliori utilitate procul dubio refertae. Novum igitur hoc genus Operis, & laboris edere me compulit ſincera voluntas, & unum, ardenſque publicae utilitatis deſiderium.

Etenim, poſtquam Juris Canonici ſtudium impenſius colere coepi, variiſque de hac mihi ſemper jucundiſſima Facultate conſultationibus ſatisfacere, cum conſultus fuerim crebro de quaeſtionibus excitatis vel a Parochis, vel ab Eccleſiae Praelatis, vel a Laicis circa Oratoria publica Confraternitatum, aut Patronorum laicorum, lucubrationes in hanc rem aliquot confeceram, ſanctiones Epiſcoporum ſive in Synodis, ſive extra Synodos; item Deciſiones, Reſolutiones, Reſponſaque Sacrarum Romae Congregationum collegeram; & plu-

ra

ra inſuper privati ſtudii cauſſa diligenter inveſtigaveram, nonnullorum in iſtud conſiliis impellentibus, & rem probantibus; donec omnia cum Amicis meis humaniſſimis communicavi, qui mihi editionis conſilium, quod utiliſſimum fore praedicabant, ne dum inſtillare, ſed & admodum ſuadere coeperunt. Hi enim poſtremi ajebant, utpote in Jure Eccleſiaſtico diſertiſſimi, plures ingenti cum incommodo pervolutari Auctores, antequam unum, vel alterum, & ſaepe opinationi Scriptoris dumtaxat innixum, occurrat theorema de Oratoriis publicis: nec quempiam ſuppetere, qui vel ſolide ſatis, vel large quaeſtiones, dubitationeſque, quae de iiſdem Oratoriis emergunt facile in dies, expenderit, ſolverit, prorſuſque diremerit; nec in re ſatis obſcura patere omnibus viam ad componendas lites, mere inſpectis Juris communis diſpoſitionibus.

Illud praeterea mentem identidem pervadebat, quod ſcribit dignitate aeque ac ſapientia Summus BENEDICTUS XIV. in Praefatione ad Libros de Synodo Dioeceſana, ideſt „ ignorari paſſim, aut „ certe non ſatis notas eſſe multas ex Apoſtolicis „ Conſtitutionibus, quibus Eccleſiae inſtituta graviſſima continentur: Decreta autem, & Reſponſa Congregationum aut neſciri penitus, aut non „ recte intelligi, plura ſiniſtris interpretationibus „ in ſequiorem partem accipi, atque corrumpi: „ quae demum alii ante nos Antiſtites in Dioece-

„ ſanis Synodis bene, ſapienterque conſtituerant,
„ ea vigere parum, negligi omnino, ſuam vim,
„ pretium, ac dignitatem non obtinere; propte-
„ rea quod ingnoti eſſent fontes, unde ſcita, &
„ conſulta illa omnia deducta, ac corrivata fuiſ-
„ ſent. Id nos perſpicere certo potuimus „ &c.
Haec ſi generatim ſcripta vera eſſe quiſquam immerito malit dubitare, veritatem tamen ea obtinere ſuam negabit nemo, qui perpenderit controverſias quoad publica Oratoria, Sacraſque, & Eccleſiaſticas actiones in iis obeundas, Miſſamque diebus feſtis celebrandam, ſaepius excitari, propterea quod quae hoc in negotio ſancita ſunt, paſſim ignorantur, nec facile unicuique in promptu ſunt; adeoque de Oratoriis hujuſmodi continuus eſt ſermo, varia ſententia, perrara ſcientia; ſecus nec tam facile Parochi exagitarent Patronos circa Oratoria patronata, dum falſo autumant vel ea Eccleſias filiales eſſe generatim, vel Parochiali poteſtati obnoxia: nec Patroni Parochorum Jura invaderent aliquando protendentes ultra certos fines ea, quae ſibi a Jure conceduntur.

Lites ulterius a Confraternitatibus, cauſſa Oratoriorum ſuorum, nec non Capellanorum, adverſus Parochorum, vel Epiſcoporum juriſdictionem deferuntur ad Eccleſiaſtica Tribunalia; nec raro profecto Paſtorum, & Antiſtitum Jura laeduntur: atque hoc quoque quaeſtionum genus impervium, & obſcurum nimis eſſe, plurimi putant.

Qua

Qua in opinione perſtant, qui Jura Parochorum ex antiquo more computant, non ex moderno, qui recentioribus Eccleſiae ſanctionibus plane congruit, per quas antiqua Jura vel explicantur, vel emendantur, pluresque concidunt priſcorum Canoniſtarum doctrinae. Quinimo novi aliquos ad ſedandas, vel defendendas Confraternitatum cum Parochis quaeſtiones, niti Reſolutionibus, Reſponſiſque nonnullis Romanarum Congregationum, emiſſis antequam prodirent Decreta *Urbis & Orbis* anno 1703. quae conſtituunt Jus commune, quaeque ſunt confirmata per S. P. Clementem XI. anno 1704. & inde etiam per conſentaneas Tribunalium Deciſiones. Quemadmodum igitur Jus commune antiquum a moderno in multis diſcrepat, & utriuſque diſtinctio accurate tenenda eſt; cum hoc illi ſaepe vim detrahat; ita haec ipſa regula in poſterioribus Statutis cum aliis praecedentibus comparatis locum habet. Nec praeterea Juri communi ita eſt haerendum, ut nihili fiant Statuta Epiſcoporum, praeſertim in Synodis vel Provincialibus, vel Dioeceſanis edita; cum multoties prae communi Jure illa ipſa Statuta legitima, & genuina ſint implenda; ideoque diligenter eorum comparanda eſt cognitio; in eaque comparanda quam ingenti labore, & diligentia opus ſit, norunt ſtudioſi Juris Eccleſiaſtici.

Quum vero non una recenſeatur publicorum Oratoriorum ſpecies; neque omnia iiſdem regan-

tur

tur legibus, idcirco diſquiſitioni de Oratoriis ſecularibus tam privatarum Familiarum, & Patronorum, quam Confraternitatum, & Collegiorum, ac Locorum Piorum, aut quorumvis Laicorum, attexui opportune non pauca de Oratoriis privatis, ſpeciatim Regularium, & functionibus, quae in iiſdem peragi vel ſinuntur, vel vetantur; & quatenus ea publicis Oratoriis aequentur, inveſtigavi; quaeque ad Oratoria ipſa publica Regularium Ordinum, vel ad Jura, & Privilegia horum circa utriuſque generis Oratoria attinent, non perfunctorie expendi. Nec Regularibus ingrata eventura fore, quae ſcripſi, pro illorum humanitate diffido, iis praeſertim inſpectis, quibus Ordinum Jura expoſui, vindicavi. Quo ergo fine, quibus legibus, qua diligentia, & ſpe fructus, publicaeque utilitatis, ſim hoc Opus aggreſſus, jam colligis, Amice Lector.

Labori profecto neutiquam peperci, ut omnia, quoad liceret, ſuis in locis ſcrutarer, ac genuinis, ſinceriſque e fontibus peterem, ſecus ac ii, qui mere exſcribunt, quaecumque apud Auctores relata inveniunt. In votis plane cum eſſet, nunquam deflectere a recta veritatis, & juſtitiae norma, ac Juris regula, lucubrationes haſce meas ut ſedulo per Viros idoneos, egregioſque examinari mandaret, rogavi Eminentiſſimum Cardinalem Antiſtitem noſtrum JOSEPHUM PUTEOBONELLUM, Virum omni ſapientia,

zelo,

zelo, virtutibus ſemper praeſtantiſſimum, cui me addictiſſimum profiteor. Cum facilis precibus pro ſua ſingulari erga me benignitate, & veritatis ſtudio annuere dignatus ſit, nihilque a Jure abſonum adnotatum fuerit, in ſpem erigor magnam, Librum meum Eruditis fore probandum. Hanc ipſam augent valde Viri alii in utroque Jure, Canonico, & Civili doctiſſimi, qui eundem ſerio expenderunt, ac probarunt. Tu vero, quidquid in novo hoc Opere erratum compereris, Lector benevole, ne oſcitationi Scribentis tribuas, ſed indulge naturae, & conditioni ingenii; nec mecum agas tamquam malevolus obtrectator, aut eorum inſtar, qui juxta Plinianum illud a D. Hieronymo adnotatum, *contemnere potius, quam diſcere* malunt; mihique potius approbatione tua ſtimulos adde jam currenti, ut novos in dies proferam labores, quos dudum meditor ad publicam utilitatem.

DON SALVATOR ANDRIANI
CONGREGATIONIS CLERICORUM REGULARIUM S. PAULLI VICARIUS GENERALIS.

CUm Librum, cui titulus eſt = *De Oratoriis publicis Tractatus* &c. a P. D. Joſepho Homobono Boni Congregationis noſtræ Presbytero profeſſo compoſitum, duo ejuſdem Congregationis noſtræ eruditi Viri, quibus id commiſimus, accurata lectione, & gravi judicio recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint; Nos ut typis mandetur, quantum in Nobis eſt, facultatem facimus: In quorum fidem has fieri, ſigilloque noſtro muniri juſſimus. Dat. Mediolani in Collegio Nobilium Imperatorio Idibus Julii MDCCLXI.

DON SALVATOR ANDRIANI
VICARIUS GENERALIS.

Loco ✠ Sigilli.

D. Juvenalis Saccus Procancellarius.

Die 7. Julii 1761.

IMPRIMATUR.

F. Joſeph Dominicus Caſſinoni Ord. Præd. Sac. The. Magiſter, & Com. S. O. Mediolani.

J. A. Viſmara pro Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. D. Cardinali Archiepiſcopo.

Vidit Julius Cæſar Berſanus pro Exm̃o Senatu.

DE ORATORIIS PUBLICIS
TRACTATUS
HISTORICO-CANONICUS
CAPUT I.

Notio, & Origo publici Oratorii traditur.

ORatorii nomine Sacrorum Canonum periti deſignant ſæpe locum idoneum ad orandum, preceſque Deo offerendas, quem in propria domo eligere cuilibet permittitur *c. unicuique* 33. *de conſecrat. diſt.* 1. his verbis mihi *pag.* 1155. *unicuique fidelium in domo ſua Oratorium licet habere, & ibi orare: Miſſas autem ibi celebrare non licet*. Adeas Auguſtinum Barboſam *de Jur. Eccleſ. univerſ. lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 1. *pag.* 62., & penes ipſum alios, cum Franciſco a Moſtazo in Tractatu *de Cauſſis piis tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 10. *n.* 1. *pag.* 82.

2. Primis Eccleſiæ temporibus, ob furentes inimicorum perſecutiones, in privatorum domibus ſacra habebantur Oratoria, ubi Chriſtifideles orabant, populum ad pietatem Clerici informabant concionibus, ſacra peragebant, ipſumque Miſſæ Sacrificium celebrabant; atque hæ Eccleſiæ, ad quas populus omnis fidelis ſecreto conveniebat, *Oratoriorum* nomine fuerunt deſignatæ, teſte eodem Moſtazo Nicephorum laudante *Lib. VII. Hiſt. Cap. II.* cum Durantio *de Rit. Eccleſiæ cap.* 1. Bellarmino *de Rom. Pontifice Lib. III. Cap. XIII.* Urrutigoyto *de Eccleſ. Cathedr. Cap.* 15. *n.* 79. Quamvis igitur a tempore Apoſtolorum Chriſtianis fuerint templa, ſeu loca aliqua divino cultui, ſacrarum functionum, & divinorum myſteriorum celebrationi aptata; id perperam negante Jacobo Picenino *in Apologia pag.* 461. ſed fatente Calvino *Lib.* 3. *Inſtit. cap.* 20. §. 30. ea tamen loca fere ſolum intra privatarum ædium ambitum continebantur, vel in antris, & ſubterraneis cavernis (qui locus Κοιμητήριον appellabatur) ubi apud Martyrum ſepulchra ad obeundum Miſſæ Sacrificium convocabantur plerumque Catholici.

3. Scribit Van-Eſpen *p. 2. tit. 16. cap. 2. pag. mihi* 244. etiam ante Imper. Chriſtianos fuiſſe Eccleſias ædificatas oſtendi a Card. Baronio ad an. LVII. idque evinci ex Edictis Imperatorum Ethnicorum de Eccleſiis Chriſtianorum demoliendis promulgatis, earumque meminiſſe Euſebium *L.* 8. *c.* 1., & addere, jam a Chriſtianis, pro ratione aucti in dies credentium numeri, ampliores, & auguſtiores antiquis illis eſſe excitatas Eccleſias: Data vero Eccleſiæ pace, ipſiſque Imper. ad Chriſtum converſis, tot paſſim ædificari cæpiſſe Eccleſias, ut ipſi primi Imper. Chriſtiani modum earum extructioni ponere fuerint coacti; idque liquido reſultare ex variis eorum Legibus, & Edictis in Codice Theodoſiano, & Juſtinianæo etiamnum extantibus. Et quidem lex Eccleſiarum ædificationi poſita eſt, ne quis eas abſque conſenſu Diæceſani Epiſcopi ædificet, prout Can. 4. Concilii Chalcedonenſis cautum eſt, & a Gratiano *cauſ.* 18. *q.* 2. *can.* 10. his verbis refertur: *Placuit igitur, neminem ædificare, aut conſtruere Monaſteria, aut Oratorii domum, ſine conſcientia ipſius Civitatis Epiſcopi*: Quod confirmavit Juſtinianus Imp. præſertim in *Novella 67.* cujus Rubrica habet: *Ut nullus fabricet Oratorii domos, præter voluntatem Epiſcopi*.

4. Circa annum æræ vulgaris CCXXII. creatus Imperator Alexander Severus, primus facultatem fecit Catholicis erigendi Romæ publico in loco ſacrum Ædificium; indeque alia extructa fuerunt, profecto magnifice, præſertim longo pacis intervallo, quod a medio ſeculo III. fluxit uſque ad perſecutionem Diocletiani, teſte cl. Hiſt. Eccleſ. Scriptore Joſepho Auguſtino Orſi *to.* 3. *lib.* 6. *num.* 23. donec reddita fidelibus pace in Conſtantini ad Chriſti Religionem converſione, per Urbes ſingulas Baſilicæ, ac Eccleſiæ, reparari, erigi, conſecrari cernebantur, in iiſque publicè, ac ſolemniter, a Grege una cum Paſtoribus divina officia perſolvi. Quum igitur Catholica Eccleſia exinde publica habuerit Oratoria, & templa, extra domos, & cavernas; ab Aurelianenſi Concilio, unde Canon ſuperius adductus deſumptus dicitur, relicta cuique fuerunt Oratoria domeſtica ſoli orationi deputata, ademta vero poteſtas Miſſam in iis perſolvendi, nec, niſi per Sedem Apoſtolicam, hæc poteſtas cuiquam tribuitur hoc tempore.

5. Sunt igitur ſacræ divino cultui, & Miſſæ celebrationi addictæ Ædes,

Ædes, quæ *Oratoria publica* nuncupantur, a domeſticis valde diverſa. Publica cenſentur, ſi habent oſtium immediate reſpondens in viam publicam, nulluſque in ipſa ſit aditus, aut proſpectus ex privatis ædibus, prout declarat Proſper Fagnanus *to.* 4. *in caput* 30. *In his de privilegiis num.* 18. *pag. mihi* 280., *& in c.* 27. *de Cenſibus Auctoritate præſentium n.* 23. 24. 25. *pag.* 555. *to.* 3. *De Oratoriis publicis*, inquit, *Sacra Congregatio ſæpius declaravit, eſſe in facultate Epiſcopi; ubi illa viſitaverit, & divino cultui peragendo apta, ac decentia eſſe compererit, licentiam impertiri, ut in eis ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrari valeat. Et Oratoria publica conſuit eſſe, cum habent oſtium, quod immediate reſpondet in viam publicam, & nullum habent aditum, vel proſpectum a loco privato; etiamſi in privato ſolo conſtructa ſint, aut parietes habeant cum ædibus privatorum communes. Item publica cenſuit eſſe illa, quæ in locis publicis conſtructa reperiuntur, veluti in Monaſteriis, & Hoſpitalibus Eccleſiaſticis.* De aditu, proſpectuque privatis infra. Oratorii publici portam eſſe debere publicam declaravit Sacra Congregatio Epiſcoporum 22. Septembris 1719. apud Urſayam in *Miſcellan. Sacro, & Profano* 1. *lit.* o. *n.* 69., & Sacra Congregatio Concilii *in Savonen.* 28. *Julii*, & 9. *Septemb.* 1724., & ſæpe alibi, apud Ferraris in *Biblioth. Canon. v. Oratorium*, qui ait etiam, Oratorium publicum pro Miſſis celebrandis illud eſſe, quod auctoritate Epiſcopi eſt erectum, & ad Dei cultum tantum perpetuo dedicatum, habens aditum liberum per viam publicam, colligi ex *cap. Oratorium* 6., & *cap. in Oratorio* 7. *q.* 42. *cap. quidam* 10. *cauſ.* 18. *q.* 2. *cap. Nemo* 7. *diſt.* 1. *de conſecrat.*, & *authent. Ut nullus fabricet Orat.* Circa publicum ingreſſum conſentientes habemus Doctores paſſim.

6. Statuit quoque Fagnanus in *dictum cap.* 27. diſcrimina inter privatum, & publicum Oratorium: in privato enim, quod & *domeſticum* voco, conſtruendo non requiritur Epiſcopi auctoritas; requiritur in publico, ex Concilii Chalcedonenſis can. 4. relato in *cap. Quidam Monachorum* 18. *quæſt.* 2. *pag.* 725., & ex Juſtiniano, cujus Conſtitutionis meminit cl. Rinaldi ad an. Chriſti 538. *pag.* 47. Privatum eſt profanum, nam quod *hodie eſt Oratorium, cras fieri poterit camera*; publicum eſt Eccleſiaſticum, ideoque etiam immunitate gaudet, ac viſitationi Ordinarii ſubeſt: quæ quidem privato non competunt. Additur

Campana, quæ nonniſi Oratorio publico convenit. Hæc Fagnanus cum aliis.

7. Ut autem præciſam exhibeamus Oratorii publici definitionem, hanc accipe petitam, præter alios plures, & communiter, ex clariſs. Franciſco a Moſtazo *to. 2. de Cauſ. piis Lib. 5. cap. 10. n. 2. pag. mihi* 82. Oratorium *publicum eſt, quod in aliquo loco publico, ad inſtar Baſilicæ, vel Capellæ auctoritate Epiſcopi eſt fundatum, & habet oſtium patens in via publica*. Ergo duo tantum ad illud neceſſario requiruntur, ceteris omnibus ad eſſentiam Oratorii publici minime ſpectantibus: auctoritas Epiſcopi, qui mandet, vel ſinat illud conſtrui, & publice patens omnibus aditus in illud; quin ſit Collegiata, vel Parochialis Eccleſia. Habet ſimilia Auguſtinus Matthæucci in *Officiali Curiæ Eccleſ.* c. 10. §. 3. *pag.* 72.

8. Tridentina Synodus in decreto *de obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſæ* præcipit Epiſcopis locorum Ordinariis Seſs. XXII. in hæc verba: *Neve patiantur privatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab eiſdem Ordinariis deſignanda, & viſitanda, Sanctum hoc Sacrificium a Secularibus, aut Regularibus quibuſcumque peragi*. Porro verbis hiſce vetat Synodus, ne Miſſa celebretur in domibus privatis, vel in locis aliis extra Eccleſiam, & extra Oratoria ſacro dumtaxat cultui deputata, hoc eſt, publica, quæ ab Ordinario deſignari debent, ac viſitari. Inde vero emergit diſcrimen inter publica, privataque Oratoria; & hæc eſſe in privatis domibus, aut extra Eccleſiam, ſive extra Oratoria divino tantum cultui dedicata, & in his privatis Oratoriis prohibet Synodus celebrare Miſſam, etiam cum Epiſcopi facultate; quo decreto, vetuſtæ Canoniſtarum diſcordiæ de hac re ſilentium fuit impoſitum, & lis diremta: Publica autem Oratoria illa eſſe, quæ extra privatas domos cultui divino tantum ſunt aſſignata, deſignataque ab Epiſcopo, ideſt, ejus auctoritate ædificata; in iiſque permiſſa Miſſarum celebratio, dum Epiſcopi viſitatio, ſeu approbatio præceſſerit.

9. Ut rem clara in luce collocemus, conſulamus Jus commune, a quo nullatenus recedit diſciplina Eccleſiaſtica, dum communiter receptas a populis Leges in deſignandis Rebus publicis, & privatis ſupponit. Igitur *l. ſed Celſus, & l. Pacta conventa §. Papinianus ff. de contrah. empt.*

de-

definitur eſſe *publicum*, quod *in publico uſu habetur*, ſive quod *publico uſui deſtinatur*, ut dicitur in *D. Lib.* 43. *Tit.* 7. *de Locis*, & *Itin. Pub.*, *Lib.* 43. *Tit.* 8. *Ne quid in loco Pub.* Unde colligit Vir. cl. Joa. Bapt. Gattico in præſtantiſſimo Opere de Oratoriis domeſticis *cap.* 3. *num.* 2. *pag.* 11. publicum eſſe Oratorium, quod publico, ſive omnium uſui patet: privatum, quod aliquorum dumtaxat uſui paratur. Quia vero nunquam aliquod ædificium publicæ commoditati patere poterit, niſi janua illius in publico loco, ideſt in via publica patuerit; idcirco niſi aditus in Oratorium immediate correſpondeat publicæ viæ, publicum nunquam erit.

10. In *L. cit.* Ulpianus conditiones viæ publicæ ita aſſignat: *Viam publicam eam dicimus, cujus etiam ſolum publicum eſt: Viæ privatæ ſolum alienum eſt. Viæ autem publicæ ſolum publicum eſt relictum, ut ea publice iretur.* Ergo ex Legum tenore, via cenſetur publica, quando ſolum eſt publicum, & publice per eam itur. Quomodo autem publice per viam ibimus, ſi illius initium, & exitus ad locum publicum non reſpexerit, aut ſub poteſtate privata fuerit viam claudere, obſtaculiſve admotis tranſitum per illam impedire? Et Proſper Lambertini Arch. Bonon. ait, tria requiri, ut via aliqua conſtituatur publica; ut publice per eam eatur, ut ſolum ſit publicum, aut publica pecunia emtum, & ut ducat ad locum publicum, *vol.* 5. *Notif.* 1. ubi demonſtrat, viam non evadere e privata publicam, licet quandoque per eam tranſeat Sacerdos SS. Viaticum deferens, vel ducens alicujus defuncti funus. Poſtulant deinde Legum Civilium Interpretes in viis publicis tantam latitudinem, quanta ſufficiat curribus, vel vehiculis capiendis, ſecus improprie viæ publicæ vocabuntur. Vide Caput XVIII. inferius cum Cap. XIX.

11. Præterea ut differentiam alteram inter utraque Oratoria innuamus, in publicis de Jure communi Miſſa celebrari poterat quotidie, ſecluſis tamen diebus Paſchatis, Natalis Domini, Epiphaniæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, & Natalis S. Joannis Baptiſtæ, *& ſi qui maximi dies in feſtivitatibus habentur*, ut præſcribitur ab Concilio Agathenſi *c. ſi quis* 35. *de conſecrat. diſt.* 1. *pag. mihi* 1155. quod, & hodie excipi debere ab Epiſcopo ait Monacellus *in Supplem. pag.* 14., quæ tamen exceptio quo ad ſolemnes anni dies, vel per privilegium, vel per conſuetudinem, vel

utro-

utroque modo, hodie ſublata eſt, & nemo, Sacerdos, non poteſt quacunque die publicis in Oratoriis Sacrum facere: At in Oratoriis privatis id prohibetur diebus ſolemnioribus. Habes diſcrimina privati, nempe domeſtici, ac publici Oratorii; nunc hujus originem indagemus.

12. Priuſquam Chriſtifidelium erga Divos in Cælo regnantes pietas, ac devotio in honorem illorum extrueret Templa, ſolæ extabant fere Parochiales Eccleſiæ, & Templa Cathedralia; & tum illas, tum iſta Populus frequentabat. Primus omnium S. Hilarius Summus Pontifex, D. Petri Cathedram adeptus an. CCCCLXI. Romæ Baſilicas exornare cæpit additis Sacellis, ſive Oratoriis; cum tria ædificaverit Oratoria in Baptiſterio Baſilicæ Conſtantinianæ, eaque auro, pretioſiſque lapidibus diſtincta, SS. Joanni Baptiſtæ, ac Joanni Evangeliſtæ, & Sanctæ Cruci dicaverit. Vid. cap. IV., & cap. VII.

13. Oratoria iſthæc, ſeu Sacella *Capellæ* poſtmodum vocari cæperunt, propterea quod (ajunt) Galliarum Regibus olim ad bellum exeuntibus, ſecumque ferentibus capam, ſeu capſam Reliquiarum S. Martini Epiſcopi Turonenſis, hæc ſub quodam tentorio ſervabatur ad id ſelecto, quod ab eadem capa, ſeu cappa nomen *Cappellæ* ſumpſit, & Clerici *Cappellani* ſunt vocati, quibus eam cappellam ut cuſtodirent, provincia demandata eſt, atque dimanavit ad regiones cæteras *Cappellanorum* nomenclatura; quamvis a Capris videtur aliis nomen illud profectum eſſe, quod nempe antiquitus fierent in expeditionibus domunculæ in tentorio pellibus Caprarum tectæ, in quibus Sacerdotes peragerent Sacra. Adeas Jacobum Pignatellum *to. 6. Conſultat.* 98. Alii aliter etymologiam exponunt cum Moſtazo lib. 5. cap. 7. pag. 58. Vide Cavalieri *Tom.* 1. *pag.* 57. 58. Sed hodie ex communi uſu loquendi Capella accipitur pro Altari in Eccleſia ab aliquo erecto, vel dotato, in quo Jus patronatus obtineat, Ferraris in *Bibliotheca Canonica ver. Capella*; quamquam non raro *Capellæ* nomen tribuatur etiam Oratoriis publicis ab aliis Eccleſiis prorſus ſeparatis, ac diſſitis. Pignatell. *Tom.* 1.*Conſ.* 93. Moſtazo *L.* 5. *c.* 10. *num.* 2. *&c.* V. & *c.* 7. Barboſa *Jur. Eccl. univ. Lib.* 2. *c.* 8.

14. Sacella autem, quæ intra Baſilicas, majoraque Templa tantum primitus conſtruebantur, poſtea ædificata ſunt etiam extra Urbes,

ac

ac ſpeciatim in minoribus vicis, ſeu in Pagis, præſertim vero a Nobilibus conſtruebantur in ſuis villis, vel prædiis ruſticis, ad Miſſam audiendam; erant enim privata (utpote privatorum ſumptibus erecta) & publica, ut Coloni, ceterique Miſſæ intereſſent; ut notavit *loc. cit. n.* 4. Moſtazius: unde privata dici poterant, re tamen vera publica erant. Nam cum antiquitus Parochiæ longius, latiuſque extenderentur, nec cuilibet Pago ſuus conſtitutus eſſet Parochus, & Paſtor, ex valde diſſitis Pagis ad ſuas Parochias evocabantur fideles; quos inter quum multi, vel ſenio confecti, vel imbecillitate corporis detenti, vel longitudine itineris, aut difficultate viarum exterriti ad Parochialem ſuam Eccleſiam ſe ſe conferre minime poſſent, permiſſa eſt ædificatio parvorum Oratoriorum, quæ *Cappellæ* nuncupabantur, inque Pagis ſuis ea habere cæperunt, eaque frequentare diebus Dominicis, cæteriſque feſtis, ſolemnioribus exceptis ſaltem antiquitus.

15. De hac re etenim intelligo cum Fagnano *Canonem* 35. *de conſecrat. diſt.* 1. paulo ante memoratum *Num.* 11. *Si quis etiam extra Parochias, in quibus legitimus eſt, ordinariuſque conventus, Oratorium in agro habere voluerit, reliquis feſtivitatibus, ut ibi Miſſas audiat propter fatigationem familiæ, juſta ordinatione permittimus*. De privatis enim Oratoriis Canon iſte nequit intelligi, tum quia loquitur de Oratorio, quod in agro ſit, ſeu in territorio Paræciæ, vel in aliqua territorii parte, in loco ſcilicet publico, ſeu quo publice populus convenire poteſt; privata autem Oratoria ſolent ædium ambitu contineri, & priſcis Eccleſiæ ſeculis ibidem celebrare veteres conſueviſſe, probat in Tract. de *Sacrif. Miſs. to.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 1. §. 1. Lambertinus, poſtmodum Romanus Pontifex; nec acceſſus omnibus indiſcriminatim patet; tum quia Canon non præſefert in rubrica *Oratoria privata*; is enim eſt titulus: *Qui extra Parochias habent Oratoria, his diebus* (ſolemnioribus) *ad Parochias redire cogantur*; quum tamen *Oratoria privata* contineat Rubrica Canonis præcedentis ex ſexta Synodo: *In privatis Oratoriis abſque conſenſu Epiſcopi nullus miniſtrare præſumat*, & quæ ſint privata iſthæc Oratoria, ex Canone ipſo 34. cognoſcere licet: *Clericos, qui miniſtrant, vel baptizant in Oratoriis, quæ intra domos ſunt, cum conſenſu Epiſcopi loci hoc facere præcipimus*. Similem ſenſum videtur Canoni Agathenſi

tri-

tribuere Card. Laurentius Brancatus de Lauræa in Epitome Canonum v. *Oratorium pag. nobis* 351. dum ait, *in Villis* (non in domibus privatis) *Oratoria permitti poſſe, ut in eis Miſſæ dicantur* .

16. Quare lapſum crediderim Pignatellum, dum in citata Conſultatione *n.* 28. *pag. mihi* 223. ſcripſit, *hunc Canonem* (35) *habere locum tantum in Oratoriis privatis*; & quod magis eſt mirandum, Pignatellus Gloſſam adducit, quum ipſa neque hic, neque in *cap. Ad audientiam*, neque alibi quidquam de hac re habeat. Adnota, quæſo, ex eodem *cap. Ad audientiam* 3. *Lib.* 3. *tit.* 48. *de Eccl. ædific. pag.* 529. propter nimiam diſtantiam Eccleſiæ Parochialis poſſe novam Eccleſiam intra fines Parochiæ ædificari, & certam portionem de antiqua ei deputari, quamvis Parochus ſit invitus: quod etiam docent Canoniſtæ.

17. Hinc novum exurgit ſatis probabile monumentum, unde putemus, publica Oratoria potiſſimum erecta fuiſſe, ut intereſſent Miſſæ, ceteriſque Orationibus Eccleſiaſticis, quicumque præ nimia diſtantia, vel corporis imbecillitate, ſingulis diebus feſtis ad Parochiales Eccleſias ſe ſe conferre haudquaquam poſſent. Etenim per me tam in hac Diæceſi (quæ latiſſime Orientem, & Septentrionem verſus, a Metropoli Mediolani extenditur) quam in aliis, obſervatum fuit, publica antiquiora Oratoria non in Villis, ubi Parochiales ſunt Eccleſiæ, ſed extra Villas, & remota a Parochialibus reperiri; & plerumque in locis iis opportunioribus, commodioribuſque, ad quæ non unius ſolum Pagi, ſed plurium finitimorum incolæ circumfluere poſſunt.

18. In Valle Travalea, quæ intra Diæceſis Mediolanenſis ambitum continetur, Oratoria duo ſunt publica in Domi Parochia collocata, in honorem S. Martini alterum, & alterum S. Georgii Martyris, quæ forma, & ſtructura vetuſtatem præſeferunt aliquot ſeculorum, quæ, ſi locum perpendas, in eum finem ædificata videntur, ut commoditati conſuleretur Sarigi, Naſchæ, Saltirani populorum, ad eandem Paræciam ſpectantium, nec tam levi intervallo diſtantium a Parochialis Eccleſiæ ſitu; præter interjecta duo flumina, quæ ad hanc acceſſum efficiunt difficiliorem. Quibus de cauſſis ædificia illa ſacra fuiſſe elaborata, non juvat ambigere. Regionem eandem deſcripſimus in Volumine inſcripto: *Delle luttuoſe vicende dell'anno MDCCLV. Racconto Iſtorico*, e

Fi-

Filoſofico, con una Diſſertazione ſopra il Tremuoto, cap. 4. quod nuncupavimus ornatiſſimo S. R. E. Cardinali Archiepiſcopo Mediolanenſi Joſepho Puteobonello.

19. Si magno cum incommodo Parochiani ad matricem perveniant Eccleſiam ad percipienda Sacramenta, audienda divina officia, ad mortuos ſepeliendos, & alia ſpiritualia capeſſenda, animadvertit Franciſcus a Moſtazo *Lib.* 5. *cap.* 3. conſtrui poſſe Oratorium publicum, quod maneat in proprietate Eccleſiæ Parochialis, ibique conſtituatur Sacerdos approbatus ab Ordinario, cum facultate miniſtrandi Eccleſiæ Sacramenta, aliaque Parochialia munia obeundi; itaut Parochiani ſatis, & abſque incommodo ſpiritualia quæque neceſſaria percipiant. Quamobrem ibi Fons Baptiſmalis reponendus eſt, cum Euchariſtia, & Oleo Infirmorum. Hujus generis eſſe Oratorium Arcumediæ in Diæceſi Novocomenſi, deprehendi; quamquam nunc recentiſſime in Parochialem Eccleſiam commutatum eſt. In Villis præcipue, quæ erectæ erant, *Capellæ*, facile in Eccleſias Parochiales olim commutabantur; & cum illæ in ſubſidium Eccleſiarum matricum fabricarentur, frequenter ob auctum populi numerum pluralitatem Parochiarum exigentem, ſervato priſtino *Capellæ* nomine, Parochialia munia identidem in illis peragi concedebatur. V. Martenium *Tom.* 1. *Anecd.* & Thomaſſinum *de Benef. p.* 1. *Lib.* 2. *cap.* 95.

CAP. II.

Amplius declaratur Oratorii publici natura, deque privatis aditibus diſceptatur.

20. AFfirmavimus *Num.* 5. Oratorium eſſe publicum, modo januam habeat viæ publicæ reſpondentem, & aditus nullus, vel proſpectus ſit in illud ex ædibus privatis. Verum aditus hicce, & proſpectus neque ad naturam publici Oratorii nati ſunt deſtruendam; neque iis poſitis, minus cenſetur publicum Oratorium, quam ſi ii deficiant, dummodo conditio altera de janua ſervetur; cum ſine illa nec cenſeri, nec eſſe valeat Oratorium vere publicum. Equidem præter oſtium principale in via, locoque publico apertum, frequenter Oratoria habent, ex

conſenſu Epiſcoporum, ab ipſo fundationis exordio, aliam minorem januam, quæ privatam domum, vel privatæ domus atrium reſpiciens, ſolis domeſticis, in quorum unice gratiam aperitur, non aliis, liberum præbet ingreſſum. Quin etiam in ipſis Oratoriis (& in multis certe, ac ſignanter in Oratoriis ruralibus Laicorum) parantur nobiliora ſedilia, aliqua pars Oratoriorum ſepitur cratibus ligneis ad præſtandum Dominis peculiare commodum, & aliquando etiam feneſtræ in parietibus effinguntur, ut e privatis cubiculis Domeſtici in Oratoria reſpicere, atque ita a reliquis omnibus ſeparati aſſiſtere valeant tam Miſſæ, quam Orationibus aliis. Ergo ſolius decentiæ gratia aditus omnis, atque proſpectus e domo privata in ædem Oratorii excluditur.

21. Primo enim recte animadvertit Moſtazius de Cauſſis piis *Lib.* 5. *c.* 10. *n.* 12. hanc eſſe communem ſententiam, ut non comprehendatur ſub Decreto Tridentini Concilii Oratorium habens publicum ingreſſum, & ſimul quoque ingreſſum privatum, a latere, verbi ca. Oratorii, vel ex alia parte; etenim privatus ingreſſus nulla ratione impedit ingreſſum publicum, qui ad Oratorium publicum omnino requiritur, itaut ex hac ſola circumſtantia publici aditus Oratorium privatæ domus ſola Epiſcopi auctoritate erigi poſſit in publicum, ut ſcribit Urſáya *to.* 1. *diſcept. p.* 2. *diſcept.* 23. *n.* 34. *pag.* 244. cum aliis. Tridentinum autem Concilium in Decreto a nobis laudato *num.* 8. loquitur de Oratoriis confectis in privatis domibus, vel quæ non ſunt ſoli cultui divino addicta, quæque ab Epiſcopo deſignata, ſeu approbata non ſunt. Verum adhuc, dato privato ingreſſu, vel proſpectu deſcriptis, Oratorium non eſt intra domos privatas, eſt divino ſoli cultui addictum, ab Epiſcopo deſignatum, ſeu approbatum, ut puto, ideoque publicum.

22. Præterea illud, ex Jure Cæſareo, eſt publicum, quod omnium uſui deſtinatur, *l. Sed Celſus* 6. *l. Pacta conventa* 72. *§. Papinianus ff. de contrah. empt. l. Riparum* 5. *ff. de rerum diviſ.*, *& l. Prætor ait §.* 1. *ff. Ne quid in loc. publ.*, *& obſervant Gloſs. in d. l. Prætor ait v. publico uſui*, *& in §. Superior v. publica*, *& in §. Riparum v. publicas*, *Bart. l.* 1. *ff. de publ. judic. Alciat. in l. littus ff. de verb. ſignif.* penes Pignatellum *Conſult.* 92. *Tom.* 1. *pag.* 100. Quum igitur privatus in-

ingreſſus (idem a fortiori dicas de proſpectu) non impediat, ne Oratorium ſit publico uſui deſtinatum ; neque tollit formam, & eſſentiam Oratorii publici. Non obſtante itaque proſpectu, vel ingreſſu privato, aut oſtio aliquo non reſpondente viæ publicæ, ſi oſtium aliud pateat omnibus indiſcriminatim, quis ambigat publicum adhuc dici, & eſſe Oratorium ?

23. Id multo magis affirmandum, ſi Oratorium cetera habeat, quæ publicis ſolum, ad diſcrimen privatorum, conveniunt, ut eſt Campana, quæ publico uſui deſervit, quatenus ſcilicet in hunc finem Oratorio adjicitur, ut per illius ſonum promiſcuus populus ad Miſſæ Sacrificium vocetur; Campana quippe alterum eſt ex capitibus differentiæ publica inter, privataque Oratoria, ex *Num. 6.* Hinc Oratoria permulta videmus, cum aditu, & proſpectu ſimul, vel cum alterutro, quæ tamen, patente oſtio publico, nemo non exiſtimat Oratoria publica. Qui enim in fundo proprio, propriiſque ſumptibus Oratorium ædificat, privatis ſuis ædibus conjunctum, vel proximum, quod in omnium etiam commodum redundet; non male ſibi etiam vindicat cum Jure patronatus, aditum aliquem privatum, vel aliquem privatum proſpectum, vel utrumque, ut commoditati ſuæ proſpiciat; quum aliorum omnium confluentium commoditati nullam afferat injuriam, vel damnum. Hinc paſſim Oratoria obſervantur tam in hac Diæceſi Mediolani, quam in aliis Diæceſibus, quæ ſive aditu, ſive proſpectu privatis, & apertis feneſtris ſunt prædita, commoditatis gratia præſertim Patronorum, aut propinquorum; cum interim per aditum, ſeu oſtium publicum ceteri admittantur; ſecus minime eſſent publicæ *non paucæ Orationis ædes, quæ primum, ob unicum privatum ingreſſum privata tantum erant Oratoria, poſtea ſublato impedimento, redditoque publico acceſſu, & conſtructa, aut complanata publica via, non publicæ ſolum evaſerunt Capellæ; ſed aliquando in Parochiales Eccleſias fuerunt converſæ*, inquit apprime Gattico *pag.* 24. *n.* 9. *de Oratoriis domeſticis*.

24. Hinc & praxi, & Doctorum ſententia non dubie liquet, ſolius decentiæ cauſſa Sacram Congregationem, ex dictis cum Fagnano *Num.* 5. ab Oratoriis publicis excluſiſſe privatos aditus, proſpectuſque; atque Ordinarii viſitantis partes erunt, inſpicere, utrum per illos læda-

tur, aut tollatur decentia, religioſo, & ſacro loco conſentanea: eoſque juſtis de cauſſis prohibere, ſeu claudere, vel permittere. Juſta autem cauſſa eſſe hæc nequit, quod videlicet ingreſſus, ſeu aditus privatus videatur Oratorium aſſignare uſui privato aliquorum; quoniam aditus ille non habet alium uſum, ſeu, qui ingrediuntur per aditum privatum, non habent alium uſum diverſum ab eo, quem habent ingredientes per januam communem, & publicam; ſed ſibi reſervant tantummodo privatum ingreſſum. Id quoque ſatis confirmat pervagata apud multos praxis, per quam ſecreta oſtiola in Oratoriis, & non raro etiam in amplis, inſignioribuſque Eccleſiis pandunt. Et quamvis habeant ad hos privatos aditus defendendos privilegium Apoſtolicæ Sedis, vel annoſiſſimam Majorum ſuorum conſuetudinem, vel demum jus ſibimetipſis in ipſa fundatione reſervatum, & tunc executioni traditum; nihilominus ſi publico loco repugnaret alter privatus ingreſſus, præter publicum oſtium, nunquam iis privati aditus permiſſi fuiſſent ullo titulo. Accipe etiam opportunum teſtimonium Card. Sabellii in Synodo Beneventana an. 1567. *Tit. 5. cap. 2. Ædificationem, & uſum Oratoriorum ita Epiſcopi, quum id illis juſta de cauſſa concedendum viſum fuerit, concedant, ut præter fores, per quas a privatis domibus ad ea itur, alias item habeant, quibus a via publica omnibus etiam aditus pateat.*

25. Sed neque decoris, aut reverentiæ læſionem infert communicatio Oratorii publici cum æde privata, intercedente privata janua, ſiquidem communicatio iſta mere extrinſeca eſt; cum in ſolo ingreſſu ad Oratorium conſiſtat: at ipſum Oratorium vere cum æde privata non communicat, non enim officia, functiones, & profana quæque, quæ fiunt domi ab incolis, fiunt etiam communiter in Oratorio; cum hoc neque ſit, neque cenſeatur pars domorum. Unde ex natura ſua ingreſſus, de quo diſſerimus, nullam indecentiam involvit, nihil indecorum; unde permittendus, niſi aliter juſtis de cauſſis Ordinario videatur. Quin immo decet in hoc, ſimilibuſque in privatorum commoditatem conſpirantibus, Ordinarium facilem ſe præbere (ſalvo tamen ſemper decore, juribuſque ceteris loci ſacri) ut ad Oratoria conſtruenda, indeque divinum cultum, Sanctorum honorem, pietatemque fidelium augendam, fovendamque, multi alliciantur. Quam rationem attingit etiam Fran-
ciſcus

ciſcus Monacellus *Tom.* 1. *Formul. tit.* 6. *n.* 18. *pag.* 208. quamvis, eodem teſtante, in facultate Eccleſiam, ſive Oratorium publicum ædificandi exprimatur, debere eſſe *januam in via, & loco publico, nullamque communicationem, ſive tranſitum ad domum vicinam, neque e domo in ſacram ædem proſpectum, aut aliam ſervitutem exiſtere*. A qua conditione non eſt diſſonum Decretum XXII. Conc. Provinc. II. Mediol. *Illud curet Epiſcopus, ut ne laicorum hominum ædes in poſterum ædificentur, quæ Eccleſiarum parietes ulla ex parte attingant; ſi quæ vero feneſtræ, ſive Eccleſiaſticarum, ſive laicarum ædium in ipſis Eccleſiarum parietibus inſunt, unde in Eccleſias conſpectus ſit, efficiant, ut duobus ſaltem poſt hujus Concilii promulgationem menſibus obſtruantur*: intellige, ſi lædatur decentia loci.

26. Neque dixeris, privatum ingreſſum, atque proſpectum eſſe *ſervitutes*, quibus Eccleſia, quæ eſt locus ſacer, ſubjici nequaquam debet in beneficium Laicorum. Non diffiteor, privatas has Laicorum commoditates totidem eſſe Oratoriorum *ſervitutes*; nec me latet, Pignatellum varia afferre Sacræ Congregationis decreta, declarationeſque, quibus eæ prohibentur, jubeturque, claudi muro apertas portas privatas Eccleſiarum, & Oratoriorum, ac feneſtras, per quas intra ſacros parietes inſpicitur, & Miſſa, quæ ibidem abſolvitur, auditur. Verum ipſemet Pignatellus *Tom.* 4. *Conſult.* 129. *n.* 17. *pag.* 203. Cauſſam Urbinatenſem adducit in Sacra Congregatione Concilii propoſitam, an poſſit indulgeri Patrono Eccleſiæ, ut habeat feneſtram in ipſius parietibus Eccleſiæ, ex qua poſſit in Eccleſiam proſpicere, & ex ea Sacroſancto Miſſæ Sacrificio intereſſe; & an eadem indulgentia poſſit extendi ad eum, qui in pariete communi cum Eccleſia fecerit feneſtram in eamdem Eccleſiam proſpicientem; & an Parochus habeat jus retinendi feneſtram reſpicientem in Eccleſiam; *die* 10. *Martii* 1663. reſpondit Congregatio, *indulgendum Patrono ex gratia perſonaliter, non autem aliis, Parocho vero licere*.

27. Quamobrem quantumvis Laici nequeant ullam ſervitutem, invito Superiore, acquirere in Eccleſiam ex Juris rigore; ex gratia tamen atque indulgentia, ſuadente æquitate, ac meritis, beneficiiſque in Eccleſiam collatis, poteſt in illam jus acquiri. Neque obſtarent declaratio-

nes Sacrarum Congregationum; quia, inquit mox laudatus Auctor *Num.* 26. *loquuntur vel de Laicis omnino ab Eccleſia extraneis, nullumque jus in illa habentibus, vel de Patronis, qui ab initio nullum jus ſibi reſervarunt, nulliſque præcedentibus promeritis in Eccleſiam, prætendunt illud ſibi aſſumere, & arrogare*. Quare difficilius per Superiores permittendæ ſunt ſervitutes laicis non Patronis, non benefactoribus Eccleſiæ, non ſibi eas reſervantibus, extraneis. Sed proniores ad illas relaxandas eſſe debent erga Principes, Patronos, Barones, Duces, vel Dominos loci. Nec diſſimiliter affirmandum de ingreſſu, ſive tranſitu, vel proſpectu privato, ac de ceteris Laicorum privilegiis, ſeu indultis ædificandi, puta, ſuper Eccleſias cubicula, vel loca ad habitandum, dormiendum, ambulandumve, quæ, adnotante Pignatello, non debent ab Ordinariis permitti, abſque Sedis Apoſtolicæ facultate. Sed legas Caput XIX.

28. Satis ex allegatis conſtare puto, præfatas Oratoriorum publicorum ſervitutes, eorum formam, remanente adhuc ingreſſu publico, minime tollere; proinde immunia adhuc eſſe, atque apta, ut in iis Miſſa celebrari queat, ſi Epiſcopi auctoritate erecta, vel approbata fuerint; quandoquidem publicus ingreſſus (quam rationem attingit etiam Ferraris in *Biblioth. Canon. v. Oratorium n.* 29.) & publicus uſus eſt veluti forma, aut neceſſaria conditio, qua Oratorium eſt, & vocatur publicum, prout expreſſe docetur a Moſtazo *Lib.* 5. *cap.* 10. *To.* 2. *de Cauſis piis*, Pignatello *Conſultat.* 93. *Tom.* 1. aliiſque paſſim; quidquid dicat de Nicollis *Tom.* 2. *praxis can. pag.* 542. *n.* 70. *ex Fagnano*, quem aliter intelligimus.

29. Poſtremus hic Auctor, Capellas vel Oratoria eſſe publica, non privata, docet, ſi habeant conditiones in Brevi declaratorio per hæc verba contentas: *Ut ſi Oratorii, vel Capellæ hujuſmodi porta viæ publicæ adjaceat, & in ea nulla alia porta, quæ ad aliquam domum ducat, exiſtat, & quatenus exiſtat, illa omnino claudatur, atque ita a privatis domibus ſeparata ſit, ut per eas ad eam acceſſus, aut proſpectus nemini pateat, Capellam hujuſmodi ſub prohibitione de mandato fel. rec. Pauli V. Prædeceſſoris noſtri de non celebrando in privatis Oratoriis publicata minime comprehenſam eſſe declaret, & ubi capax, & ornata decenter exiſtat,*

ne-

neque aliquid eorum, quæ ad Sacrum in ea faciendum neceſſaria ſunt, deſideretur. Ad quæ ita ſapienter, & opportune Pignatellus: *Quod dicitur in dicto Brevi declaratorio de privato ingreſſu ad hæc Oratoria, quod ſcilicet non debeat immediate patere ex aliquo cubiculo domus, ſed vel e cortili, vel aliquo atrio extra domum, omnino advertendum eſt. Ibi enim declaratur, debere eſſe ſeparata a privatis domibus, itaut per ipſas ingredi, aut proſpici non poſſit. Et ideo ſi prius ingrediendum ſit cortile, aut atrium, ſervabitur declaratio. Ita enim declaratum fuit, non quia ingreſſus e domo privata tollat publicitatem Oratorii, ſed quia non approbatur.*

30. Hinc Oratorium annexum domui privatæ, per quam patet ingreſſus in ipſum, ita tamen, ut habeat ingreſſum alterum publicum correſpondentem publicæ viæ, per quem quilibet ingredi poſſit in Oratorium publicum, cenſetur dicatum cultui divino, eſtque de iis, de quibus diſponit Concilium Trident. in *Decret. de obſervand., & vitand. in celebr. Miſſ. ſeſs.* 22. ac proinde poteſt in ipſo permitti ab Epiſcopo celebratio Miſſæ, cum publicum ſit, & ideo etiam immune, non obſtante etiam ingreſſu privato; prout ſcribunt Averſa *q.* 11. *de Euchar. ſect.* 14. Thomas Hurtado *p.* 2. *reſol. moral. tr.* 12. *c.* 1. Bald. *in q. ſelect. l.* 14. *q.* 10. §. 10. Pax Jord. *to.* 1. *lucubr. lib.* 14. *tit.* 1. *n.* 161. Quintanaduen. *to.* 1. *ſing. tr. ſingul.* 33. *n.* 9., & confirmant *Ricc. dec.* 78. *n.* 8. *p.* 4. Alph. de Leon. *de offic. Capel. q.* 3. *ſect.* 1. dum dicunt, Oratorium erectum in cortili non eſſe privatum, ſed publicum, atque iccirco nequaquam includi ſub decreto Sacræ Congregationis de Oratoriis privatis. Sunt eadem prope laudati Scriptoris verba. Ex Urſaya afferente decreta Roman. Congregationum apud Ferraris *v. Oratorium* adhuc Oratorium eſt publicum, licet portam habeat in interiori atrio, ſeu cortili palatii, licet aditus detur per ſcalas, ſeu porticum, per viculum, aut ædes privatorum, ex deciſione Sacræ Rotæ; & a fortiori non deſinit Oratorium eſſe publicum, quando Patronus cedit juri, quod habebat in ſitu ante illius portam, adducta per extenſum deciſione opportuniſſima Sacræ Congr. Epiſc. & Regul. *in Placentina* 14. *Novemb.* 1626., quam inſtar legis habendam, & ſervandam affirmat. V. Cap. XII. *V. Ferraris in Biblioth. edit an.* 1746., & Monacellus *p.* 1. *tit.* 5. *pag.* 127. Vid. Cap. XII. & Cap. XVIII.

31. Rationem præallegavimus, nam communiter dici ſolet publicum quidquid eſt omnium uſui deſtinatum. Unde quum apertis oſtio, & proſpectu privatis, adhuc Oratorium habeat, patente oſtio publico, publicum uſum, ipſum non deſinit eſſe publicum; ſicut flumen adhuc eſt publicum, ſi e privatis ædibus in illud ingreſſus hiat; atque ob privatum ingreſſum in viam publicam, huic adhuc viæ publicæ nota, & nomen adhæret. Inde collige ulterius, publicis in Oratoriis Miſſam celebrari quandoque poſſe ex cauſſa legitima, clauſis antea januis, & etiam janua publica, receptis in Oratorium, & admiſſis iis tantummodo, qui ingreſſus privati privilegio gaudent, & iis, quos ipſis recipere, & admittere placuerit ad orandum, vel Sacrum audiendum.

32. Neque fortaſſis regerere quiſquam audeat, Oratorium, utpote ædem publicam ſacris obeundis addictam, publicum requirere cultum, publicamque Sacrificii oblationem, in qua præcipui cultus ratio conſiſtit; propterea que hunc publice exerceri debere, & coram quibuſcumque convocatis, vel confluentibus. Nemo equidem dubitat, Sacrificium non eſſe publicum; ſed quiſque ſanus negabit, illud neceſſario ſemper debere publico modo, aut coram promiſcuo populo offerri. Si ergo licet illud abſolvere in privatis domorum Oratoriis, cur non interdum peragi poterit in Oratorio publico januis clauſis? præſertim quum interdum etiam in Eccleſiis ceteris peragi ſoleat obſeratis januis. Itaque ad publicum Oratoriorum publicorum cultum ſervandum ſufficit, ſi plerumque publico modo Miſſa celebretur, admiſſis e populo quibuſcumque: qua ratione ſervato publico cultu, non tranſit Oratorium a publico uſu ad privatum, etiamſi aliquando portæ non pateant tempore celebrationis, & aliquæ ſolum determinatæ, ac certæ perſonæ admittantur ob audiendam Miſſam. Hæc confirmant a Moſtazo in præclaro Opere *de Cauſis piis L.* 5. *cap.* 10. *n.* 17., & Pignatellus Conſult. 93. *n.* 31., quibus in locis uterque citat Quintanaduenam *Tom.* 1. *ſing. tract.* 7. *ſing.* 33., & Paſqualigium præterea deciſ. 173. *n.* 3., *& de Sacrif. Miſſæ q.* 450. citat Moſtazo; *quia non præcipitur, quod publice celebretur, ſed quod in Eccleſia, ſeu Oratorio publico*, inquit ex Paſqualig. P. Diana *Tom.* 4. *Tractat.* 2. *reſolut.* 23. *pag. mihi* 32.

33. Idem ille Scriptor perdocte obſervat eodem loco *n.* 16.,

&

& probat, Oratorium habens oſtium publicum vere eſſe publicum, quamquam non habeat Campanam, dummodo *Oratorium a principio*, inquit, *ſit principaliter deſtinatum ad uſum publicum, & ad id janua publica aperiatur*; licet Oratorium habeat alium ingreſſum privatum. Sicut vero Campana ad conſtituendum publicum Oratorium minime eſt neceſſaria, ita neque turricula, vulgo *campanile*. Quare ex certis Juris principiis, & concordi Doctorum ſententia, compertum ſatis ſuperque eſt, Oratorium publicum ſola publica janua, velut neceſſaria conditione, denominari, ac publicum effici.

Quamvis Oratorium, ſeu Capella non queat ſupra ſe habere cameras, vel loca ad habitandum, dormiendum, deambulandum, aut ad alium uſum profanum (quod hic, & v. *Eccleſia* a Ferraris probatur) ſubtus tamen eſſe poſſunt horrea, cellæ vinariæ, aut Apothecæ, ut plura adducens exempla Urbis de Oratoriis, ac etiam de ipſiſmet Eccleſiis Parochialibus, ac pluribus ad id allegatis Doctoribus defendit d. Urſaya *Tom.* 8. *p.* 1. *diſcept.* 40. refertque in terminis reſponſiones Sacræ Congregat. Epiſcop. & Regul. *in Reatina 6. Julii* 1706., & Sacræ Congregat. Concilii in *Piſauren. Oratorii* 23. *Feb.* 1710. Cavendum tamen ſemper, ne quidquam fiat, quod repugnet *cap.* 6. *diſt.* 42. *Oratorium hoc ſit, quod dicitur, nec ibi quidquam aliud geratur, vel condatur, quam quod divinis miniſteriis conveniat*; vel ut habet *cap.* 7. *In Oratorio, præter orandi, & pſallendi* (adde celebrandi) *cultum penitus nihil agatur, ut nomini huic & opera jugiter impenſa concordent*; *pag.* 137.

34. Circa proſpectum in Eccleſiam, Pittorius in minime prohibita Collectione Conſtitutionum Pontificiarum, & Romanarum Congregationum deciſionum ad Parochos ſpectantium *pag.* 121. *n.* 589. citat Decretum Congreg. Epiſcopor. *an.* 1619. 5. *Martii* prohibens, *ne a domibus vicinis pateat feneſtra in Eccleſiam*, ex Gavanto in Manuali *verb. Eccleſia n.* 27. quod accipe juxta ſuperius notata, ſignanter *Num.* 27.

35. Jacobus Pignatellus *Tom.* 6. *Conſult.* 12. *num.* 19. *pag.* 43. advertit, Sacram Congregationem ſæpe declaraſſe Oratoria ædificata in agro, aut ſolo privato, licet a domibus diſtincta, adhuc privata cenſeri, ſi oſtium reſpondeat in aream privatam, utcunque omnibus

patentem. Quamvis his caſibus aliquando reſcripſerit ad Epiſcopos, ut poſtquam Dominus ſoli per publicum Inſtrumentum ſitui ante Oratorium exiſtenti efficaciter, & cum effectu renuntiaverit, declarent Oratorium illud eſſe publicum, itaut ſit in ipſorum facultate licentiam tribuere illic celebrandi, ubi tamen illud prius viſitaverint, ac divino cultui peragendo aptum, ac decens eſſe compererint. Quamquam id, adnotante ipſo Pignatello *num. ſequenti*, adverſatur Soto, Sà, Henriquez, aliiſque, quos adducit, ac ſequitur Paſqualig. *de Sacrif. Miſs. quæſt.* 445., *&* 447.

36. Ex dictis in I., & præſenti Capite moniti loco colliges, ea ad divinum cultum dumtaxat eſſe dedicata, quæ tam firmiter ſunt addicta obſequiis divinis, ut illa deſtruere, in alioſque uſus convertere nullus privatus homo queat; adeoque Oratoria omnibus pervia, & publica vere divino tantum cultui dedicata dici, quatenus nullius privata auctoritate (niſi aliter Epiſcopus judicaverit, juxta ſibi convenientem juriſdictionem, quam in loca ſibi ſubjecta exercet) dirui, ac in alios uſus converti poſſunt; ſed ſemper publicæ commoditati ad Deum ibidem colendum patent. Nec ulla proprie Deo dedicata Loca appellantur, quæ prius ſpecialibus ritibus Deo devota non fuerint, ut eſt verax doctrina. Vide cap. XIV. De Oratoriis Regularium alibi.

Hinc tranſimus ad inſpiciendam Oratoriorum patronalium materiam, qua accurate evoluta, non difficulter evaneſcent lites prope quotidianæ, quæ inter Parochos, & Fundatores, ſeu Patronos Oratoriorum ſuboriuntur.

CAP. III.

Jus patronatus unde profectum.

37. AD Oratoria Juris patronatus examinanda progreſſurus, quædam cenſeo præmittenda. *Patronus* latine, græce προστάτης, ut Patroni officium *defendere*, *patrocinari*, perinde eſt ac tutor, vindex, ſeu aſſertor, & defenſor, vel qui aliquem in periculo defendit, quia patris loco ſit. Hinc patronatus nihil, niſi patrocinium, ſeu tutelam, ac defenſionem, ſonat; indeque ortum Jus patronatus, quod a Romu-

lo

lo uſque exordium habuiſſe dicitur. Is quippe, poſtquam populum in Patricios, atque Plebejos diſpeſcuit, ſanxitque, ut Patricii auſpicia haberent, Magiſtratum gererent, ſacraque curandi, juris dicendi, Rempublicamque adminiſtrandi officio fungerentur, Plebejos vero agros colere, pecus alere, quæſtuoſaſque exercere artes, juſſit; ad cavendas, arcendaſque ſeditiones omnes Patricios patronos plebis eſſe voluit, Patriciiſque Plebejos velut Clientes aſſignavit, plebemque commendavit Patribus, facta tamen unicuique de plebe libera optione ſibi eligendi Patronum, quem mallet. Hoc autem optimum, prudenterque conſtitutum neceſſitudinis vinculum Patricios inter, atque Plebejos, ex parte illorum *patrocinium*, ex parte horum *clientelam* vocavit. Præterea *Patroni* nomen in Jure Civili ad eos item ſpeciatim pertinet, qui Servos manumitterent, quorum proinde quaſi Patres habebantur; quippe qui a morte veluti in vitam eos revocaſſent; ipſique Servi jam libertate donati, dictique *liberti*, Dominos hujuſmodi deinceps Parentum loco habebant, ex Joanne Mich. Cavalieri *Comment. Tom.* 1. *cap.* 2. *pag.* 45.

38. Juris patronatus, cujus originem inveſtigavit Ferdinandus Scroetter in Diſſertatione de hoc argumento, meminit Juſtinianus tam in *Digeſtis Lib.* 37. *tit.* 14. *&* 15. quam in *Codice Lib.* 1. *tit.* 3. *l.* 20. *pag. mihi* 29. ubi legitur, quod ſi *Clericus, aut Monachus, aut Mulier, quæ ſolitariæ vitæ dedita eſt, nullo condito teſtamento deceſſerit; nec ei parentes utriuſque ſexus, vel liberi, vel qui agnationis, cognationiſve jure junguntur, vel uxor extiterit, bona, quæ ad eum, vel ad eam pertinuerunt, Sacroſanctæ Eccleſiæ, vel Monaſterio, cui (forte) fuerat deſtinatus, aut deſtinata omnifariam ſocientur: exceptis his facultatibus, quas forte cenſibus adſcripti, vel Juri patronatus ſubjecti, vel curiali conditioni obnoxii Clerici, vel Monachi cujuſcunque ſint ſexus relinquunt*. Quantum ad res Eccleſiæ attinet, *Patroni* nomen primo iis tribuitur, qui ob ædificatam ſuis ſumptibus Eccleſiam, vel magno aliquo proventu locupletatam, jus ſibi retinent Beneficiarium in ea deligendi, nominandi, & apud Epiſcopum præſentandi. Quod jus dicitur *Patronatus*, eoque potientes, *Patroni* appellantur. Deinde idem nomen Sanctis in Cælo regnantibus, ſuiſque nos apud Deum interceſſionibus juvantibus aptatur.

Si vera ſunt, quæ habentur in Diction. Scientiar. Ephraim Chambers *v. Oratorium pag. 67.* ideſt, priſca Oratoria fuiſſe parvas Capellas conjunctas Monaſteriis, ubi Monachi orabant, antequam Eccleſias obtinerent; & in VI. & VII. ſeculo Oratoria fuiſſe parvas Eccleſias identidem erectas in fundis ſepulturæ deputatis, abſque Baptiſterio, & Sacerdote Præſide, & publico officio; & illuc ab Epiſcopo pro neceſſitate mitti Sacerdotes; jam liqueret, quid eſſet de præſenti argumento dicendum.

39. Penes vetuſtos Canonum, Legumque Auctores non reperiri nomen *Juris patronatus* in ſignificatione eadem, quam habet ſub titulo Decretalium *de Jure patronatus*, quamque hodie paſſim ei tribuunt cum Theologis Canoniſtæ; adnotavit Franciſcus Florens in *Tractatu de antiquo Jure patronatus*. Eodem obſervante nomen *Patroni*, quod legitur in *cap.* 1., *&* 2. *tit. de Jure patronatus* apud Gregorium (*pag. nobis* 492.) deeſt in Collectione prima, & in integris Canonibus, qui extant in Concilio Cabilonenſi II. ſub Carolo Magno, & Triburienſi ſub Arnulpho. Fuit autem, ait Van-Eſpen. *p.* 2. *tit.* 25. *cap.* 1. *n.* 1. *pag.* 361. *hæc dictio* Patroni *addita a Raymundo Decretalium collectore, facilioris intellectus cauſa: quia ætate Raymundi* ante annum 1250., *nomen Patroni in ea ſignificatione, quam hodie habet, invaluerat.*

40. Verum res ipſa comperta erat, etſi *Patroni* vox hodiernam ſignificationem nondum eſſet ſortita, adeo ut uſurpari nunc valeat effatum S. Auguſtini in Joannem: *Quamvis Parochia, & Monaſteria novis nominibus appellata ſint; res tamen ipſæ ante nomina ſua erant.* Quamvis enim priſci *Fundatoris*, & *Fundationis* tantum nomina adhibere ſolerent, jura tamen prope æqualia tribuebant, ac hodie *Patronis* tribuantur, multaque in vetuſtis Canonibus, monumentiſque occurrunt exempla, ex quibus re, ſi non nomine, Jus patronatus notum fuiſſe colligitur, juxta ſenſum etiam hodiernum; quamvis nova Eccleſiæ diſciplina melius ordinaverit, declaraveritque Patronorum jura antiqua.

41. Primis ſeculis jura quædam honorifica Eccleſiarum Fundatoribus conſtat fuiſſe conceſſa ex virtute *gratitudinis*, ut ait Guillelmus Pariſienſis *Lib. de moribus cap.* 9., & Alexander III. *in cap.* 24. *de Jure patronatus*, in prima collatione apud Antonium Auguſtinum, ait, Sanctos

ctos Patres aliqua Patronis reſervaſſe, *quæ plane obſerventur*. Quapropter nomina, atque elogia Fundatorum in eorum Eccleſiis ſub initium V. ſeculi (& multo magis, & paſſim deinceps) ſolemniter inſcribebantur, ut deprehenditur ex *Epiſt.* 10., *&* 12. S. Paulini, qui eo tempore vivebat, cum obierit a. 431. Præterea antiquiſſimis etiam temporibus ob Fundatores ipſæ Eccleſiæ nomen vindicare cæperunt, ad eas tranſeunte nomine ſuorum Fundatorum; ac iccirco inter Titulos, ſive Baſilicas Eccleſiæ Romanæ recenſetur Baſilica Conſtantiniana, Titulus Damaſi, Titulus Equitii, Titulus Paſtoris, Titulus Veſtinæ, Titulus Eudoxiæ, Titulus Lucinæ, & Faſciolæ, petito, acceptoque a Fundatoribus nomine, ſive maſculis, ſive feminis; atque etiam Monaſteria nomen Fundatoris ferebant, ut pateſcit in ſubſcriptione Eſichii in Epiſtola ad Juſtinianum Imperatorem. Præter autem honorem nominis ſuorum Fundatorum Eccleſiæ relicti, iidem honorifica alia jura acquiſiverunt.

Quæ autem expreſſius modernis ſeculis tribuantur Patronis ſuper patronatis Eccleſiis, & Oratoriis jura, non oſcitanter eſt inveſtigandum, ut Parochorum, Sacerdotum, ac Laicorum maxime Patronorum jurgia, & controverſiæ non infrequentes facile evellantur.

42. Plane multiplex in Jure patronatus includitur jus in favorem Patronorum, explicante Gloſſa in *c. Nobis* 25. *de Jure patronatus*, duobus verſibus *pag. mihi* 1332.

Patrono debetur honos, onus, utilitaſque,
Præſens ut præſit, defendat, alatur egenus:

ſeu, ut habet Cabaſſutius *in Theor. & praxi Lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 21. *pag. mihi* 50. *Præſentet, præſit, defendat &c.* quorum equidem non alius ſenſus eſt, ait Franciſcus Antonius Phæbeus *Inſtit. Jur. can. Lib.* 1. *tit.* 15. *n.* 5. *pag.* 114. quam ut Patrono deferatur præcipuus in Eccleſia locus; ut ille habeat onus, ſeu officium protegendi Eccleſiam, ejuſque tuendi bona; habeatque jus præſentandi ad Beneficium vacans; ac denique ſi forte Patronus, ejuſque Filii ad inopiam, ac egeſtatem pervenerint, ſublevandus eſt, ac ſuſtentandus ex bonis Eccleſiæ a ſe fundatæ. Videas *c. Nobis* 25. *de Jure patronatus Lib.* 3. *tit.* 38.

43. Franciſcus Le Roy *in Prolegomenis ad titulum de Jure patrona-*

natus cap. 2. exiſtimat, jus nominationis (quod hac ætate jus *præſentationis* appellatur) delatum fuiſſe Fundatoribus a ſeculo IV. aut ſaltem initio ſeculi V. Poſſet id comprobari ex Canonibus Concilii Arelatenſis II. anno 452. & Arauſicani I. an: 441. nempe illius Canone 39. hujus 10. *Quidquid ſit, id inficiabitur nemo, quin hiſce Canonibus ut minus fundamentum juris præſentationis, quod potiorem ipſius juris patronatus portionem conſtituit, fundamentum poſitum ſit*, inquit Van-Eſpen laudato loco *n.* 8. *pag.* 362.

44. Mox deſcripti juris præſentationis ſeculo VI. invenimus deſignata, immo declarata monumenta apud Juſtinianum; is enim Monaſteriorum, Xenodochiorum, Eccleſiarumque Fundatoribus jus deſignandi Adminiſtratores, Præfectos, & Presbyteros adſcripſit in *Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* nonnulliſque Novellis; nam in Novella 57. *cap.* 2. *pag.* 1019. Ædificatoribus Eccleſiarum, ſeu Fundatoribus non permittit in iiſdem Eccleſiis quoslibet indifferenter, ac ſine delectu eligi, ac nominari, ſed dignos, ac ordinandos, examinandoſque ab Epiſcopo; hac addita optima cauſſa: *ut non profanentur*, inquit, *Sancta Dei (hoc videlicet, quod ſacris ſancitur eloquiis) ſed intacta hæc, & ineffabilia, tremendaque conſtituta, ſancte, & Deo amabiliter, & venerande tractari*. In Novella 123. *cap.* 18. eandem facultatem factam Fundatoribus denominandi, eligendique Clericos, extendit ad Fundatorum hæredes; nam ait in eadem Novella *pag.* 1140. *Si quis Oratorii domum fabricaverit, & voluerit in ea Clericos ordinare, aut ipſe, aut ejus hæredes &c.*, repetitque, Clericorum horum Ordinationem Diæceſano Epiſcopo, ſicut eorum conſecrationem, ſpectare, cum idonei fuerint nominati.

45. Gratianus adducit can. 2. Concilii Toletani IX. *in cap.* 16. *q.* 7. *can.* 32. *pag.* 705., ex quo prædictum jus ſtabilitum conſpicimus ſeculo VII. etiam in Hiſpania; quoniam decernitur, ut Fundatores Eccleſiarum curam earum permittantur habere ſollicitam, & ſollicitudinem ferre præcipuam, ut idoneos Rectores offerant Epiſcopis ordinandos, vel ſi illi hoc neutiquam præſtent, Epiſcopi ipſi cum eorum conniventia inſtituant aptos Miniſtros. Quoties vero neglectis Fundatoribus Epiſcopi Rectores ordinaverint, irrita declaratur (quo ad effectum) facta ordinatio, & relicta poteſtas Fundatoribus alios condi-

gnos

gnos ſubſtituendi. Idem Gratianus ibidem can. 30. *pag.* præced. 704. ex Concilio Toletano IV. can. 37. refert ſtatutum, ut Fundator ad inopiam redactus alatur ab Eccleſia. Ex antea citato Concilio Toletano IX. can. 1. refert Gratianus can. 31. ſtatutum ſimile in favorem filiorum, vel nepotum, ac honeſtiorum propinquorum ejus, qui conſtruxit, vel ditavit Eccleſiam, ut nimirum ad eos pertineat ſollicitudinem gerere pro illa, & illi nocentes compeſcere, eos denuntiando Epiſcopo, Judici, Metropolitano, Regi.

46. Ex qua tuitione, patrocinioque (de quibus loquuntur Leges) tam Eccleſiarum, quam rerum ad Eccleſias pertinentium, Fundatoribus datum fuit nomen *Patroni*, *Defenſoris*, *Advocati*, *Cuſtodis*; atque hodie paſſim jura, olim Fundatoribus data, Patronis tanquam Fundatoribus adhærent, atque obliterata propemodum *Fundatoris* appellatione, retentum fuit dumtaxat nomen *Patroni*, Fundatorum juribus annexum. Iidem Patroni valde differunt a ſpecialibus illis Defenſoribus, qui & *Advocati* ſunt nuncupati, quique primis, ac mediis ſæculis dabantur Eccleſiis; quorum, ex Concilio Carthaginenſi Africanorum Patrum ſæculo VI. munus erat præcipuum, ut in Cauſſis Civilibus defenderent Eccleſias, hiſque patrocinarentur, atque eſſent, quemadmodum hoc tempore loquimur, Eccleſiarum ſpeciales *Cauſidici*, ſeu *Advocati*, iidemque pro Epiſcopis, & Clericis in judicium comparerent, & Cauſſas proſequerentur.

47. Subinde audacia, ac temeritas Potentum effecit, ut illis Defenſoribus (qui ex Ordine *Scholaſticorum*, hoc eſt, Cauſidicorum eligebantur) ſubſtituerentur validiores Defenſores, Optimates nempe, ac Proceres; cum experientia compertum feciſſet, potentia magis, quam facundia indigere Eccleſias ad res ſuas conſervandas; atque hi quoque Defenſores, exemplo præcedentium, appellati fuere *Advocati*, ac deinceps a recentioribus Scriptoribus etiam *Vicedomini*, *Cuſtodes*, *Guardias habentes*; quorum abuſus reprimuntur in *c. Præterea* 23. *de Jure patronatus pag.* 497. Ipſi Fundatores, ut tutius, meliuſque rebus Monaſteriorum, aut Eccleſiarum conſulerent, aliquando Advocatum deſignabant, eumque, ut ſua Princeps auctoritate confirmaret, poſtulabant. Verum quum nec Fundatorum voluntas per varias leges,

&

& conditiones expreſſa, neque Canonum ſacrorum auctoritas, aut Edicta Principum, Advocatorum exceſſus reprimere poſſent, Monaſteria tandem, ac Eccleſiæ privilegii loco habuerunt, ab hujuſmodi Advocatis, & a ſubſtitutis per eos Subadvocatis immunia evadere; aut ſaltem poſſe pro libito Advocatum, quem maluerint, eligere, ad tuenda jura Eccleſiaſtica.

48. Unde Synodus Tridentina *ſeſs.* 22. *cap.* 8. *de Reformat.* alludere videtur ad antedictam de Advocatis diſciplinam; decernens enim, Epiſcopos etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatos, in caſibus a Jure conceſſis, omnium piarum diſpoſitionum, tam in ultima voluntate, quam inter vivos, eſſe executores, & habere jus viſitandi Hoſpitalia, Collegia quæcunque, ac Confraternitates Laicorum, etiam quas *Scholas*, ſive quocunque alio nomine vocant, *non tamen*, inquit, *quæ ſub Regum immediata protectione ſunt, ſine eorum licentia: eleemoſynas*, proſequitur, *Montis Pietatis, ſive Charitatis, & Pia Loca omnia, quomodocunque nuncupentur, etiamſi prædictorum Locorum cura ad Laicos pertineat, atque eadem Pia Loca exemptionis privilegio ſint munita &c.* Igitur Synodus Oecumenica eximit a viſitatione Epiſcoporum Monaſteria, quæ Reges, ipſoſque Principes ſupremos pro Advocatis, ſeu Protectoribus habent.

49. Ex Cabaſſutio eodem loco *n.* 22. jure ſucceſſionis hæreditariæ Jus patronatus ad hæredes tranſmittitur, nullo habito ſexuum diſcrimine; juxta Gloſſam in *Clement.* 2. *de Jure patronat.* Si Jus patronatus fuerit hæreditarium (quale eſſe ſemper præſumitur, ſi non conſtet in oppoſitum) hæredes ſuccedunt in ſtirpes, ex Clement. *Plures de Jure patron.* At ſi Jus patronatus comprobatur gentilitium, ſuccedunt ſoli viri in capita, ut apud Cabaſſutium docet Sanlegerius *Tom.* 1. *cap.* 32., *&* 107., ac Franciſcus le Roy in Prolegom. *ad tit. de Jur. patron. cap.* 19.

CAP.

CAP. IV.

Modus acquirendi Jus patronatus.

50. NEc injucundum, nec ſupervacaneum, nec pertractandorum claritati ineptum exiſtimo, recenſere Juris patronatus ſpecies varias. Quamvis enim Canonum Interpretes conſentiant, unicum tantum Juris patronatus genus fuiſſe per plura ſæcula, neque vel in antiquis Canonibus Eccleſiæ, vel in Novellis Juſtiniani ullum apparere diſcrimen inter Jus patronatus Eccleſiaſticum, & Laicum; ac non minus per Leges Eccleſiæ, quam per conſuetudinem, ſenſim labentibus ſæculis, diſtingui, ac ſtatui utriuſque diſcrimina cæpiſſe; nunc tamen hac ipſa de cauſſa ejuſdem Juris ſpecies negligendæ non ſunt, antequam de fundamentis Juris patronatus dicamus quidquam.

51. Concilium Generale VIII., quod eſt Conſtantinopolitanum IV. celebratum IX. ſeculo ann. 869. ſub Adriano II. S. P. in cauſſa Photii per vim intruſi in Sedem Conſtantinopolitanam, Canone 15. mandat, ut ſi Epiſcopus Monaſterium de redditibus Eccleſiaſticis ædificavit, illud eidem Eccleſiæ tradat; ſin vero ex propriis rebus, aut conventionibus, vivente Epiſcopo ſit illud in ejus poteſtate, ac voluntate; *& poſt finem vitæ dimittat, & conferat hoc quibuſcunque voluerit, non tamen ſeculare diverſorum fiat*. Quo in Canone de Jure patronatus Monaſterii ad Epiſcopum Fundatorem ſpectante loqui Synodum illam, Eruditi arbitrantur.

Utut res ſit de Canonis illius ſenſu, Jus patronatus dividitur a Canoniſtis in Eccleſiaſticum, & Laicum: Illud proprie dicitur, quod competit Eccleſiæ, ſeu ratione Eccleſiæ, ſive Clerico, ſive etiam laicæ perſonæ, v. gr. Abbatiſſæ, inquit, cum aliis communiter, Van-Eſpen *p. 2. tit. 25. cap. 2. n. 6.* Etſi quippe Laicus illud jus primo, per fundationem ex proprio patrimonio factam, fuerit adeptus; poſtmodum tamen donatione, aut teſtamento, aliove modo, translatum fuit in Eccleſiam, in Capitulum, ſeu Collegium Eccleſiaſticum Canonicorum Regularium, aut Sæcularium, vel ſuperadditum fuit, atque conjunctum alicui dignitati Eccleſiaſticæ, aut Eccleſiaſtico Beneficio. Hujus Eccleſiaſtici Juris patronatus clarum patet indicium *in cap. uni-*

co de Jure patronatus in 6. *pag.* 118. ubi ſancitur quod *licet Patronus laicus ad præſentandum tempus habeat quadrimeſtre dumtaxat*; *Eccleſia tamen, vel Monaſterium, cui facta eſt a Laico Juris patronatus collatio, tempus habet ſemeſtre*: quo in canone evidens eſt diſcretio Juris patronatus Eccleſiaſtici a Laico.

52. Jus patronatus *Laicum* nuncupatur, ſi competat Laico, vel Clerico non propter Eccleſiam, vel Beneficium, ſed ratione proprii patrimonii. Adnotabat Emmanuel Gonzalez *ad cap.* 5. *tit. de Jure patronatus n.* 3. *tom.* 3. *pag.* 554., & Franciſcus le Roy *in Prolegomenis ad titulum de Jure patronatus cap.* 6. nequidquam obſtare, quod iſtud patrimonium intuitu Eccleſiæ fuerit acquiſitum; *quia cum ex generali conſuetudine Clerici de talibus bonis teſtari poſſint, & in illis eis ab inteſtato ſuccedatur, ſicut in patrimonialibus, videtur Clericus dotans, vel extruens Eccleſiam ſibi, ſuiſque hæredibus, vel conſanguineis Jus patronatus ratione patrimonii reſervaſſe, & ita laicale judicatur*; verba ſunt citati Emmanuelis.

53. Sunt quoque Jura patronatus promiſcua, quando videlicet Beneficium eſt Juris patronatus Laicalis, & Eccleſiaſtici; cujus proinde Beneficii extat Patronus duplex, Laicus unus, Eccleſiaſticus alter; qui dum ſimul ambo concurrunt in uſu Juris patronatus, ſimulque præſentant, & litteræ præſentationis expediuntur amborum nomine; tunc eſt unum quodammodo Jus patronatus, illudque *mixtum* vocatur. Si vero alternatim concurrant, & per turnum, in turno Eccleſiaſtici eſt Jus patronatus dumtaxat Eccleſiaſticum, & laicale in turno Laici.

54. Jus patronatus præterea in perſonale ſecernitur, & reale. Primum competit ex titulo fundationis, dotationis, alteriuſve ſimilis cauſæ, independenter ab aliqua certa re, cui eſſet annexum. Secundum annexum eſt fundo, vel caſtro ex voluntate, ac diſpoſitione Fundatoris. Itaque *perſonale* ſic vocatur, non quia certæ adhæreat perſonæ alicui, ſed ut diſcriminetur ab eo, quod inhæret rei, quodque propterea *realis* nomen accipit.

55. In *cap.* 18. *tit. de ſententia, & re judicata* 27. *pag.* 320. nec non in *cap. ex literis* 7. *de Jure patronatus*, ſermo eſt de Jure patronatus reali, ideſt, fundo, & Villæ inhærente. Porro reale Jus patrona-

na-

natus exordium ſumpſiſſe videtur ex Oratoriis, atque Sacellis, quæ a Viris nobilibus conſtruebantur jamdiu circa fundos ſuos, aut in domibus, ſeu Villis, pro familiæ commoditate, atque ob nimiam a Parochiali Eccleſia diſtantiam. Oratoriis præficiebantur a Fundatoribus, non ſine Ordinarii facultate, Presbyteri, ut ſacra peragerent; uti, teſte Van-Eſpen ſuperius indicato loco *cap.* 2. *n.* 13. *pag.* 365. colligi poteſt ex Can. 22. (melius forte 21.) Synodi Agathenſis, nec non multis Canonibus Conciliorum ſeculo VII. & VIII. celebratorum, in quibus & Oratoria iſta, & Præsbyteri commemorantur perſæpe. Agathenſe prædictum celebratum fuit an. 506. teſte Cabaſſutio *Not. Eccleſ ſæc. V. pag.* 234.

56. Quum igitur, proſequitur Van-Eſpen, hujuſmodi Oratoria, & Sacella pro commoditate habitantium in Caſtris, ſeu in Villis conſtruerentur, viſum fuit, & quidem merito, quod ex mente Fundatorum ſequi deberent Dominos Caſtrorum, & Villarum: & conſequenter, quod iiſdem Dominis competeret nominatio, & electio Presbyterorum, qui præfatis Oratoriis, vel Sacellis deſervirent. Ubi obiter notandum, vere non aliam fuiſſe Originem Oratoriorum publicorum, quam ut provideretur incommoditati nimiæ diſtantiæ Pagorum, ſeu Villarum, & Caſtrorum a ſuis Parochialibus Eccleſiis, prout Cap. 1. a Num. 14. uſque ad finem apte oſtendimus. Porro Oratoria, ſive Sacella, de quibus hic diſſerit Scriptor ille clariſſimus, ſcilicet Zegerus Bernardus Van-Eſpen, publica erant procul dubio (quamvis domeſtica etiam vocari valeant, utpotè domeſticis privatorum ſumptibus ædificata) quia inſtructa erant, non in unius familiæ beneficium ſolummodo, & ad privatum ejuſdem uſum, ſed in beneficium totius Villæ, Pagi, Caſtri, & ad communem omnium incolarum uſum, ex alibi dictis. Vide etiam cap. VII.

57. Animadvertere opus eſt, modo memoratam electionem Presbyterorum a Dominis factam, non habuiſſe primitus nomen *præſentationis*, qualis nunc convenit Patronis Eccleſiarum: quum enim præſentatio ſpectet dumtaxat ad Beneficia, ac propterea in nominatione Clerici ad Beneficia ſita ſit illa Presbyterorum electio, ſive nominatio a Dominis illis peracta, *præſentatio* vocari haudquaquam poterat,

rat, eo quod Oratoria præfata nondum erant erecta in Beneficia. Id vero quum ſucceſſu temporis contigiſſet; ut in Beneficia ſimplicia, atque etiam in Parochiales Eccleſias Oratoria eadem publica mutarentur, narrante etiam Ludovico Thomaſſino *de Diſcipl. Eccleſ. p.* 1. *Lib.* 2. *cap.* 93., quinimmo etiam in Canonicorum Capitula degenerarent, a quibus integrum officium Canonicum perageretur (cujus exemplum patet in Canonicis Capellæ Ducis Burgundiæ, de quibus *in cap. cum capella* 16. *tit. de Privilegiis pag.* 698. *edit. Taurin.*) ideo dum Oratoria mutata, ſeu converſa fuerunt in ſimilia Beneficia Parochialia, vel Canonica, remanſit Jus patronatus, ſeu Jus præſentationis apud illos ipſos (& eorum hæredes) qui potiebantur jure nominandi Presbyteros ad celebrandum, priuſquam Sacella, ſeu Oratoria erigerentur in Beneficia.

58. Ex his, aliiſque in ſuperiori Capite probatis, non ambigue conſequitur, & jam diu, & nunc acquiſitum eſſe Jus patronatus Eccleſiarum Fundatoribus, titulo fundationis earundem; adeoque modum, ac titulum acquirendi tale jus eſſe fundationem. Aliqui per *fundationem* non aliud intelligunt, niſi *fundi dationem*, & per hanc ſolam, ſecluſa etiam dotatione, acquiri illud jus confirmant ita, ut neceſſe non ſit ad hanc acquiſitionem, niſi tribuere fundum, in quo Eccleſiæ parietes ædificari valeant. Sententiam affirmantem ad acquiſitionem Juris patronatus ſolum requiri fundi donationem, vel conſtructionem, vel dotationem, veriorem judicat Gonzalez *To.* 3. *in cap. Nobis de Jure patronat. n.* 3. ubi, & in *cap. Perlatum in eundem titulum* plures alios Doctores laudat pro eadem ſententia. Ferraris etiam *v. Jus patronatus* edit. 1752. docet, etiam aliis citatis, ſufficere vel ſolam fundationem, vel ſolam ædificationem, ſeu conſtructionem Eccleſiæ, vel ſolam dotationem; & præterea, quod dum unus fundat, alter ædificat, & tertius dotat, tunc omnes acquirunt Jus patronatus in ſolidum, & una ſimul in ſolidum evadunt Patroni, *arg. cap. Filiis* 31. *cauſ.* 16. *q.* 7. & tenet communis Doctorum cum Fagnano, aliiſque.

Hæc idem Ferraris, docens inſuper, quod quando plures concurrunt in tribus cauſſis, ſeu modis allegatis, v. gra. ad ſolam fundationem, vel ad ſolam ædificationem, vel ad ſolam dotationem, evadunt om-

omnes ſimul Patroni, & æquale Jus patronatus acquirunt, reſpectu illius tituli, prout expreſſe declaravit Sacra Congregatio apud Garciam *de Beneficiis p. 5. cap. 9. n. 53.*, & tenent Doctores citati ab eodem Ferraris, aliique paſſim. Hæc omnia, quæ docet Ferraris in ſua *prompta Bibliotheca*, confirmantur a Laurentio de Nicollis *Tom.* 1. *v. Jus patronatus*, qui & egregie nobiſcum intelligit infraſcripta Decreta Concilii Tridentini. Vid. Pignatellus *To. 9. Conſult.* 82. Verum hoc a Jure hodierno, & priſtinis canonibus abſonum eſſe arbitrantur alii, ac præſertim Le Roy in *Prolegomenis ad Commentarium de Jure patronatus n.* 34. ubi probare nititur, ſive in Decretalibus, ſive in Sacris Canonibus, *fundationis* nomine venire conſtructionem, atque dotationem, quum Canones Eccleſiam ædificari vetent, ſine aſſignatione dotis, hoc eſt eorum, quæ neceſſaria ſunt pro luminaribus, pro cuſtodia, & pro ſtipendiis Miniſtrorum Eccleſiaſticorum. Sed leges caput X.

59. Fundationem cum aſſignatione dotis conjunctam, ſtare pro Juris patronatus fundamento, nititur demonſtrare Van-Eſpen ex Decretis Tridentini Concilii Seſs. XIV. Cap. XII. & Seſs. XXV. Cap. IX. Verum liceat viro illi præſtanti reſpondere, oppoſitum illis Decretis comprobari, ideſt ſufficere pro adeptione Juris patronatus alterutram, aut fundationem, aut dotationem. En Decretum priori loco contentum: *Nemo etiam cujuſvis dignitatis Eccleſiaſticæ, vel Secularis, quacunque ratione, niſi Eccleſiam, Beneficium, aut Capellam de novo fundaverit, & conſtruxerit, ſeu jam erectam, quæ tamen ſine ſufficienti dote fuerit, de ſuis propriis, & patrimonialibus bonis competenter dotaverit, Jus patronatus impetrare, aut obtinere poſſit, aut debeat. In caſu autem fundationis, aut dotationis; hujuſmodi inſtitutio Epiſcopo, & non alteri inferiori reſervetur.* Unde colligit Vaneſpenius, adjungi debere fundationi dotationem?

Concilium ſiquidem loquitur *disjunctive*, ut aiunt, *fundaverit, & conſtruxerit, ſeu jam erectam, & indotatam* dotaverit, nam ex hac loquendi formula aperte habemus vim, & ſignificationem conjunctionis disjunctivæ, qua jungimus ea, quorum alterum, non utrumque affirmamus. Quare in Decreto altero ejuſdem Concilii apponitur particula *vel*, quæ disjunctiva eſt, hoc modo: *Decernit Sancta Synodus, ut*

titu-

titulus Juris patronatus ſit ex fundatione, vel dotatione &c. Sententiam noſtram eſſe communem ait Schmalzgrueber *Tomo 3. tit. 36. n. 52. pag. 429.*, & Nicolaus Garzia *de Benef. p. 5. cap. 9. n. 141. pag.* 588. ex declarationibus Sac. Congregationis Concilii. Sicut enim docentibus Ictis, & notante Cavalieri loco jam *Num. 37. citato*, Pater ducit filium de non eſſe ad eſſe ex procreatione, vel ad bene eſſe ex dotatione; ita qui fundat Eccleſiam, eam deducit ad eſſe, & qui dotat, ad bene eſſe. Verum eſſe tum potius, excellentiuſque habetur, quam bene eſſe; imo & illud hujus fundamentum eſt. Caba ſſutius *in Theor. & pr. Lib. 2. cap.* 7. tribus modis Jus patronatus acquiri docet, 1. *fundatione per contributionem ſoli, ſeu areæ ad ſuperædificandam Eccleſiam. 2. ipſa Eccleſiæ ædificatione, ac fabrica. 3. dotatione ipſius Eccleſiæ, ut dicit Gloſſa in can. Piæ mentis 16. qu. 7.*

60. Quamobrem Lambertinus apud Fagnanum, & præter Lambertinum alii, non immerito docent, fieri adeptionem Juris patronatus ex cauſſa fundationis, ideſt fundi ad conſtruendam Eccleſiam dati; vel conſtructionis; vel dotationis; nec requiri, ut ſimul tria hæc concurrant. Hinc disjunctive quoad dotationem loquitur etiam Phæbeus *Lib. 1. Inſtit. Canonic. tit. 15. n. 3. pag. 113. Sciendum enim eſt, Jus patronatus non aliter acquiri in aliqua Eccleſia, Beneficio, aut Capella, quam ipſam de novo fundando, & conſtruendo, aut jam erectam, quæ tamen ſine ſufficienti dote fuerit, de ſuis propriis bonis competenter dotando, ut decernitur a Tridentino* (vide communem nobiſcum ſenſum adſcriptum a Phæbeo Synodo Tridentinæ) *Seſs. 14. de refor. cap. 12. cui conſonat apud Gloſſam in c. Piæ mentis 26. 16. q. 7. verſus ille*:

Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus:

dummodo tamen Epiſcopi aſſenſus interveniat, ſine quo Eccleſiam ædificans (juxta tamen dicta Cap. 1. quum ſufficiat approbatio Diæceſani, poſtquam Eccleſia eſt ædificata, quamvis abſque ejus facultate ædificetur) Jus patronatus non aquirit, *ex c. Nobis 25. de Jure patronatus*. Pignatellus quoque *Conſ.* 139. docet ex ſola conſtructione electionem, ac nominationem acquiri, adeoque Jus patronatus. *Ergo multo magis*, ait, *ubi ne dum adeſt conſtructio, ſed etiam dotatio*; & *Tom.* 7. *Conſult.* 8. adducit Sacræ Congregat. Concilii ſententiam in Vercellenſi,

lenſi, *Jus patronatus acquiſitum per augmentum tertiæ partis dotis ante 40. annos a die confirmationis Concilii numerandos validum eſt*; & in Ulterana, Placentina, & alibi, *Ad probandum Jus patronatus non requiritur, ut ſimul probetur dotatio, vel fundatio, ac immemorabilis*; *ſed alterutrum ſufficit*.

Monacellus *p. 2. tit. 15. n. 3. pag. 196.* docet acquiri Jus patronatus per reædificationem Eccleſiæ, vel præſtationem fundi pro illius conſtructione, citatis Gloſſa, Gonzalez, Garzia, Gratiano, & Rotæ deciſionibus. Ex ſola conceſſione fundi, vel conſtructione, vel dotatione oriri Jus patronatus, docet Gonzalez *To. 3. in cap. Perlatum, & cap. Nobis de Jure patr.* Attamen Fagnanus *Tom. 3. in cap. Quoniam n. 26. pag. 512.* nititur evincere, non acquiri Jus patronatus, niſi ſimul concurrentibus illis tribus, fundatione, hoc eſt, fundi collatione, Eccleſiæ conſtructione, & dotatione, auctoritate Diæceſani; quibus ſimilia conatur adſtruere Van-Eſpen *p. 2. tit. 25. cap. 3.*, qui tamen fatetur *n. 15.* primitus Jus patronatus præcipue Laicum, non alio, quam fundationis titulo delatum fuiſſe Fundatoribus, quod tamen ſenſim etiam præſcriptione acquiri cæpit.

Fundatores Jus patronatus adipiſcebantur ex facultate Eccleſiæ. Sed cum hodie per nova Jura conceſſio Juris patronatus fuerit redacta in Corpore Juris, non eſt amplius gratioſa, ſed debita ex juſtitia, & eſt Jus commune, eſt de Jure communi. Pariter ex antiquo Jure Laici in Eccleſiis per eos fabricatis, vel dotatis nullum ſibi jus per ſe competere exiſtimabant; protinus eædem Eccleſiæ ſuis cum dotibus, Epiſcoporum voluntati aliquando a Laicis relinquebantur. At ſucceſſu temporis ab Eccleſia conceſſa fuerunt Patronis jura aliqua, quibus adhuc potiuntur, ſcilicet jus defenſionis in *cap. Filiis 31. c. 16. q. 7. pag. 704.* honor proceſſionis *ibidem cap. Piæ mentis 26. pag. 703.*, & in *cap. Nobis 25. de Jure patronatus pag. 498.*, & alimentum vitæ neceſſarium ex eodem *cap. Nobis*, ac denique jus præſentandi in *cap. decernimus 32. c. 16. q. 7.* Quæ quidem nonniſi prudenter conceſſa, ſancitaque fuere ab Eccleſia; quum hinc permulti ad novas Eccleſias, vel fabricandas, vel dotandas incitentur, plurimumque hinc pietas, religioque augeatur.

Ad-

Advertit Laurentius de Nicollis *in Praxi Canonica loc. cit. n.* 4., quod ad hoc, ut per fundationem acquiratur Jus patronatus, requiritur, ut fundus detur ſimpliciter ita, ut totum dominium illius transferatur in Eccleſiam, ut poſt Lambertinum, & Maſſobr. reſolvit Barboſa *de Jure Eccleſiaſt. Lib.* 3. *cap.* 12. *ſub n.* 28., & *pag.* 847. *n.* 9. inquit Laurentius idem, per ſimplicem dationem, donationem, vel legatum factum Eccleſiæ, non acquiri Jus patronatus, cum dans, donans, vel legans videatur potius Benefactor, quam dotans, & acquiſitor Juris patronatus. Unde ad effectum hujus juris, oportet, ut quis expreſſe det in cauſſam dotis. Ita Lambert. *Lib.* 1. *p.* 1. *q.* 6. *art.* 1., *&* 2. Rota in *una Imolen. juris patronatus* 2. *Junii* 1577. coram D. Cantuccio, quæ eſt deciſ. 167. *par.* 2. *diverſ.*, & *in una Aretina Capellaniæ*, *ſeu Juris patronatus* 16. *Decemb.* 1594., *&* 20. *Maii* 1585., coram D. Seraphino.

61. Verum alicui forte fruſtra hæc a nobis cumulata videri poterunt, cum differere non inſtituerimus de Eccleſiis tantum, quæ vel erectæ fuerunt, vel mutatæ in Beneficia ſimplicia, aut in Parochiales Eccleſias, aut in Capitula Canonicorum; ſed de Oratoriis publicis, quibus nullum Beneficium ex Fundatorum diſpoſitione annexum eſt, & ſolum ſunt deſtinata celebrandæ Miſſæ, ſacriſque obeundis. Scio Jura hactenus allata, & alia hucuſque dicta ſolis Eccleſiis aliquod Beneficium conjunctum habentibus videri convenire: aſt ex generalibus hiſce præjactis fundamentis permulta, eaque evidentiſſima inferemus, quæ Oratoriis ſimplicibus publicis apprime aptantur, quod proximo Capite præſtabimus.

62. Ibidem probat de Nicollis, requiri conſenſum Epiſcopi in conſtructione, ut acquiratur Jus patronatus, ac requiri etiam in fundatione, vel dotatione; ſufficit tamen ſi conſenſus *interveniat ex poſt facto*; & ſufficit etiam conſenſus tacitus. Lege eundem.

Acquiritur Jus patronatus præſcriptione; ac præterea privilegio Summi Pontificis, ut ſi is alicui de Eccleſia benemerito, vel ob aliam cauſſam illud concedat, quamvis Eccleſiam nec fundaverit, nec ædificaverit, nec dotaverit; nam de plenitudine poteſtatis Papa in cunctis Beneficiis habet plenariam facultatem, *textu expreſſo in cap. Licet* 2. *de præbend. in* 6.

63.

63. Præterquamquod ex dictis *Num.* 56., & 57. etiam antiquitus congruebat Jus patronatus etiam Fundatoribus Oratoriorum publicorum, quibus nullum erat annexum Beneficium, eiſque dabatur electio eorum Presbyterorum, qui in hujuſmodi Oratoriis Miſſarum actionem ſacram perſolvere, ceteraque divina officia, ſeu preces peragere debebant. Ex praxi hodierna, quam & vetuſtam eſſe, ex publicis Inſtrumentis dignovi, Fundatores ſibi reſervant Jus patronatus etiam in erectione Oratoriorum, quibus nullam ſuperaddunt, nec unquam deinceps ab ullo fuit ſuperaddita erectio Beneficii alicujus perpetui; & hoc idem Jus patronatus in iiſdem Oratoriis publicis hæredes, & ſucceſſores poſt diuturnum tempus adhuc caute, ſolliciteque conſervant contra conatus Superiorum, & Parochorum. Quapropter cum non leves crebro, præſertim cum Parochis, excitentur controverſiæ, operæ pretium putavi expendere limites Jurium Patronorum in ſuis publicis Oratoriis, ne ſibi quidquam temere arrogent, eoſque Parochi divexare contendant. Videas Caput VII.

CAP. V.

Quid Patrono competat circa publicum Oratorium.

64. QUicunque Oratorium conſtruens ejuſdem amat ſibi Jus patronatus vindicare in perpetuum, & per conſequens ad hæredes, ac ſucceſſores illud tranſmittere, ſpecialiter ſibi illud jus reſervare debet per Scripturas authenticas, ut ſi poſt diuturni temporis lapſum dubitetur, aut controverſiæ aliquæ ſuboriantur, facilius probari poſſit, inſpectis tabulis idoneis. Etenim etiam quæ tacite inſunt, ad majorem cautionem ſæpe exprimi ſolent; ut liquet in evictione, de qua etſi venditor emptori teneatur ex indubitata diſpoſitione Juris *l. non dubitatur 6. C. de evictiion.* tamen exprimitur. Ceterum ex fundatione Oratorii acquiritur Jus patronatus, etiam abſque expreſſa Fundatoris reſervatione, aut conceſſione Ordinarii, quemadmodum in *cap. Nobis fuit 25. tit. de Jure patronatus* ſine ambiguitate indicat Clemens III., præſertim ſi addas, quæ continentur in integra Decretali apud Antonium Auguſtinum in ſecunda Decretalium collectione,

teſte Vaneſpenio *p.* 2. *tit* 25. *cap.* 3. *num.* 2. quum conſtet ex integra Decretali, quæſitum fuiſſe ab eodem Pontifice, *Si aliquis efficiatur ſola Eccleſiæ conſtructione Patronus*; cui quæſito reſpondet Papa: *Quod ſi quis Eccleſiam cum aſſenſu Diœceſani conſtruxit, ex eo Jus patronatus acquirit*: quaſi diceret, pergit mox citatus Van-Eſpen, ſolam fundationem ſufficere, nec requiri ſpecialem juris illius reſervationem. Unde Laurentius de Nicollis *To.* 1. *Praxis Canon. v. Jus patronatus* docet, non requiri expreſſam reſervationem; hancque ſententiam *communiorem* vocat, quam etiam ſervat praxis; qui etiam notat, opinionem, quod vel fundatio, vel conſtructio, vel dotatio ſatis ſint ſeorſim ad tribuendum Jus patronatus, ſervari in praxi, eam multos docere, eam conformem eſſe juribus, quia hæc alternative loquuntur, ut facit Trident. ſup. citatum Cap. præced.

65. Quare Gloſſa ad *can.* 10. *de conſecrat. diſt.* 1. *pag.* 2476. *edit. Rom.* 1582. aperte inquit, Fundatori Jus patronatus *ipſo jure deberi etiamſi non petat, vel in pactum deducat, ut* 16. *q.* 7. *Piæ, & cap. Decernimus*. Et ita contra antiquas deciſiones, requirentes expreſſam reſervationem patronatus, ſæpius Rota judicavit, teſte Pignatello *Tom.* 2. *Conſult.* 114. quem, ac citatos ab eo adire potes. Idem confirmat argumentis pluribus Le Roy *in Prolegomenis ad Commentarium de Jure patronatus cap.* 15. ac narrat ita reſolutum quoque fuiſſe in Rota Romana. Accipe etiam verba celebris elapſi ſeculi Canoniſtæ Proſperi Fagnani *Tom.* 1. *in cap. quum Eccleſia Vulterana n.* 35. *pag.* 282. *edit. Venet.* 1709. *Fundans, conſtruens, vel dotans Eccleſiam acquirit Jus patronatus, etiamſi illud non reſervaverit, dummodo expreſſe illud non remiſerit, tex. eſt in c. ſignificavit de teſtib. ubi hoc tenent Jo: Andr. Bald. Butr. Card. Imol. Aret. Abb., & Felin., & eſt receptiſſima Concluſio, ut dixit Rota dec.* 167. *num.* 4. *p.* 2. *diverſor.* Rationem affert Schmalzgrueber *To.* 3. *tit.* 38. *n.* 42. *pag.* 428. *quia hoc jus fundantibus, conſtruentibus, & dotantibus Eccleſias acquiritur ex diſpoſitione Juris; unde non eſt neceſſe illud deduci in pactum, vel reſervari expreſſe*. Hic autem obiter nota cum Le Roy, quod ſi quis Eccleſiam fundaverit a multo jam tempore, & ipſe, aut ejus hæredes uſi non fuerint Jure patronatus, præſumitur, eos in fundatione tale jus remiſiſſe, ac fundare voluiſſe Eccleſiam liberam,

aut

aut plane ſucceſſu temporis , ſaltem tacite, illud renuntiaſſe per non uſum . Ceterum , quum etiam non reſervato expreſſe Jure patronatus , hoc Eccleſiæ Fundator adipiſcatur, inde magis confirmatur, quod antea præmiſi *Num.* 60. Fundatoribus Jus patronatus ex juſtitia nunc competere, non ex gratia , & privilegio peculiari .

66. De modo reſervandi Jus patronatus hactenus : accedamus ergo ad inſpicienda propius Patroni munia, & partes circa publica Oratoria . Jus patronatus eſt jus honorificum , oneroſum , & utile , alicui in Eccleſia conveniens , & ad hæredes illius tranſiens , ob factam ejuſdem Eccleſiæ fundationem , dotationem , aut conſtructionem , cum facultate Ordinarii . Generalem hanc Juris patronatus definitionem , & probant Doctores communi calculo , & confirmant , quæcunque in ſuperioribus Capitibus ex Juris diſpoſitionibus collegimus; ſuper quibus diſpoſitionibus nituntur, quæ impræſentiarum congerimus. Neque dubites de Jure patronatus ſuper publicum Oratorium , propterea quod non ſit jus præſentandi , cum Oratorium non ſit ſemper erectum in Beneficium ; nam ex alibi dictis, Jus patronatus non denegatur Fundatori , quamvis jus præſentandi ad beneficium non competat Fundatori, ob non factam Eccleſiæ erectionem , vel mutationem in aliquod Beneficium , indicante Pignatello *To.* 10. *Conſ.* 139.

67. Jus ergo Patronatus , eſt jus honorificum ; adeoque ſicuti Patronus Eccleſiæ in Beneficium ſimplex , aut in Parochiam , aut in Capitulum Canonicorum erectæ, vel mutatæ, in eadem Eccleſia honorificentius recipi debet, in proceſſione præ aliis honorandus eſt, eique ſtudioſe Eccleſiæ Miniſtri deſerviunt ; ita Patronus publici Oratorii honore dignus eſt ſpeciali in Oratorio per eum fabricato , ſedes , ſcamnaque ad ſedendum , ac genua flectenda ſibi poteſt in eo ſeorſim ponere , qua ſibi libuerit, hora in Feſtis Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium ibi audire , ſeu ut celebretur, injungere . Neque enim poteſt prohiberi celebratio Miſſæ in Oratorio (præſertim ſi hoc fuerit in aliqua diſtantia a Parochiali) ruri ædificato per Laicum (cui propterea pertinet Jus patronatus) antequam celebretur Miſſa in Parochiali , & Matrice Eccleſia , ut declaravit Sacra Congregatio Concilii in *una Cajetana* 18. *Septembris* 1627. Idem etiam cenſuit Sacra Congregatio in *una Capuana* 31. *Maii* 1629.

dum reſpondit ad relationem Eminentiſſimi Cardinalis Pii, Curatum Caſalis Caſæ pullæ Capuanæ Diæceſis, non poſſe prohibere Alicornio Natali ejuſdem Terræ, quod non faciat celebrare Miſſam in Eccleſia per ipſum Alicornium ædificata diebus feſtivis ante Miſſam parochialem. Videas Auguſtinum Barboſam *de officio, & poteſtate Parochi p. 1. cap. 11. n. 23. pag. mihi* 138., & ex Barboſa Pittonus eadem refert in *Conſtitutionibus Pontificiis, & Romanarum Congregat. deciſ. num.* 722. *pag.* 149.

68. De ſolis Parochialibus Eccleſiis loquitur Concilium VII. Prov. Mediol. in decreto de Eccleſiis, & earum cultu, jubens Parochis, ne omnino tolerent ſedilia, & privata ſubſellia, a quibus naſcitur occaſio perturbationum, & profanationum; ſed non loquitur de Oratoriis, vel Eccleſiis Juris patronatus. Unde optime tradit Moſtazus *Lib.* 5. *cap.* 7. *To.* 2. *n.* 45. *pag.* 63. Patronum poſſe ſcamna, & ſedes apponere in Eccleſia; hocque ita certum eſſe, ut ſi quis arma, aut ſcamna, ſedeſve amoverit, adverſus eum actio injuriarum concedatur, & officium Judicis. Pariter in Eccleſia de Jure Patronatus Laicorum non poteſt Epiſcopus concedere jus retinendi ſedilia invito Patrono; Rota *in Taurinen.* 26. *Febr.* 1666. *ex Ferraris v. Sedes, ſcamna*. Neque dixeris, Sacrorum Rituum Congregationem *in Vintimillienſi* 10. *Decembris* 1604. cenſuiſſe, ſedes, ſcamna, & loca Laicorum moderanda eſſe arbitrio Epiſcopi, referente Pignatello *To.* 10. *Conſult.* 56. *pag.* 96. id quippe haud diffitemur; ſed Sacra Congregatio loquitur non de Oratoriis publicis Juri patronatus laicali obnoxiis, ſed de Eccleſiis ceteris; quamquam non negaverim Epiſcopo poteſtatem ineſſe, ut Oratoriorum ſedilia jubeat a Patronis ita diſponi, ac efformari, ut loco ſacro ſint apta, & munia in eo peragenda non impediant; Monacellus *p.* 1. *tit.* 5. *pag.* 160.

69. Neque pariter dixeris, Parochum ratione ſui officii, & ad conſervanda jura ſua poſſe prohibere Clericis, aliiſque Capellanis, ne in Oratoriis, ſive Eccleſiis ſitis intra limites Parochiæ quacunque de cauſſa præſumant ſine ſua præſentia, vel ſaltem conſenſu Miſſas, ſive votivas, ſive alias privatim, vel in cantu celebrare, quemadmodum, aliis adductis, ſcribit Jacobus Pignatellus *To.* 10. *Conſult.* 103. *n.* 16.

quan-

quandoquidem locum habere nequit hæc Parochi prohibitio, niſi quando læduntur jura Parochialia, quæ peculiariter infra a nobis recenſebuntur; unde Pignatellus conſulto addidit illa verba, *ad conſervanda jura ſua*. Quæſo autem, an quidquam lædatur de juribus Parochialibus, proptereaquod Patronus alicujus Oratorii hac potius, quam alia diei hora, & feſtis, & non feſtis diebus, Miſſæ Sacrum in Oratorio publico peragere facit? Nam ſicut, ex probandis in ſingularibus Capitibus, nullo jure potitur Parochus circa Oratoria Patronis ſubjecta, ita neque poteſt interdicere Miſſæ celebrationem in aliqua diei hora. Verum quid plura? Pignatellus differit in ea Conſultatione de Oratoriis Confraternitatum, earumque Capellanis Sacerdotibus, neutiquam de Oratoriis Juris patronatus; quod vel ex ipſo Conſultationis titulo liquet. Obſerva hæc Decreta Concil. Provinc. Mediol. IV. *in Actis pag.* 149. *Miſſæ Parochialis Sacrificium die feſto circiter duabus poſt ſolis ortum horis, aliis etiam diebus ea hora, quæ populo univerſo pro loci ratione Epiſcopi judicio magis accommodata erit, in omni Eccleſia Parochiali celebretur, datis ſemper ante ſtatis campanæ ſignis, iiſque horæ dimidiæ intervallo diſtinctis, ut in tempore populus convenire poſſit*. Vid. Cap. XIII., & XX., ac XXI.

70. *Si præter Parochum* (nota) *alius etiam Sacerdos eſt, qui in ea Eccleſia Miſſæ Sacrificium facere debet, id omni die in aurora celebret, ut qui iter facere, vel aliud quidquam ruri præſertim agere neceſſe habent, intereſſe poſſint, neque propterea omittant*.

71. *Si vero plures ſunt Sacerdotes, qui ibi, aut in ejuſdem Parochiæ finibus Miſſam celebrent, tum, ut decretum eſt primo Provinciali Concilio, unam in aurora, reliquas deinceps debito intervallo &c.*

72. Hinc habes diſparitatem inter Oratoria publica patronatui ſubdita, & Capellas intra Eccleſias erectas patronatui ſimiliter ſubditas. Capellani enim etiam Juris patronatus celebrare debent in horis commodis Eccleſiæ, & Patroni nequeunt penes ſe tenere claves ſuarum Capellarum, ex ſententia Congregationis Epiſcoporum (apud Joannem Baptiſtam Pittonum in adducta ſuperius Collectione *pag.* 25. *n.* 90. *ex Nicol.*) *in Januenſi an.* 1578. 18. *Martii*. Certe ita ſapienter cautum, ne Capellanorum celebratio publicas interturbaret functiones; quæ in Eccleſia eadem fiunt, aliaque non levia prodirent incommoda,

ſi

ſi Capellanis fieret in quacunque hora celebrandi poteſtas in Capellis Juris patronatus intra Eccleſiam conſtitutis. At quid unquam incommodi, quid abſurdi, damnive, ſi fiat Facrum hora, qua placet, in Oratorio publico, ex voluntate Patroni? Aut quid commune deprehenditur inter illud, & Eccleſiam Parochialem, vel Collegiatam, harumque functiones? Igitur Curatus, ne in quacunque diei, etiam Feſti hora celebretur in publicis Juris patronatus Oratoriis, prohibere non poteſt, nam id prohibere ſpectat ad Epiſcopum. Vide Cap. XXI. Hæc cauſſa fuit, cur Congregatio Concilii, apud Pittonum *num. 900. in Terviſina ad cap. 8. Seſs. 7. an. 1649. 17. Aprilis* decrevit, non poſſe Epiſcopum præcipere Capellanis Capellarum campeſtrium Regularium, ne Miſſas celebrent, antequam celebretur Miſſa Eccleſiarum Parochialium. Hinc nullo decreto id prohibetur; quum e contra prohibeatur circa Capellas intra Eccleſiam extantes.

73. At fieri poteſt interdum, ut Miſſæ celebratio in publicis Oratoriis fideles retrahat ab audiendo verbo Dei, quod per Parochum in ſua Eccleſia prædicatur. *Teneri unumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe, ubi commode id fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei*, Tridentini Patres monuerunt *Seſs.* 24. *cap.* 4. de reformat. Quare Synodi Buſcoducenſis, & Mechlinienſis præcipiunt, abſtinendum a celebratione Miſſæ, & a concione, dum Parochus concionatur, vel celebrat in Feſtis; ita enim habet prima *tit.* 11. *cap.* 3. ſub Maſio celebrata: *Ne Parochiani, qui diebus Dominicis, & Feſtivis, juxta Concilii Tridentini declarationem, Parochiæ ſuæ intereſſe ad audiendum verbum Dei tenentur, ab illo avocentur, præcipit, ne quis Sacerdos eo tempore in Eccleſia Parochiali, aut extra eam in Capellis Sacrum facere, aut concionari præſumat, ſub pæna noſtro arbitrio infligenda.* Quum igitur celebrans Sacerdos ſine prævia campanæ pulſatione, aut januis Oratorii clauſis ex *Num.* 32. non avocet populum a Parochiali Miſſa, & prædicatione, ideo harum quoque tempore publico in Oratorio celebrare cuique licebit. At lege Cap. XXI. Recole decreta in Actis Eccle. Mediol. allata ſub *N. 69.* &c., & adde *pag.* 733. iterum decerni, Parochialem Miſſam circa duas ab ortu ſolis horas eſſe celebrandam, & diebus feſtis non celebrandum pro libito ante Miſſam Parochialem, ſi hæc, intellige, celebrata fuerit præſcripto tempore.

Sed

Sed *pag.* 150. cavetur, ut ſi per Miſſam in aurora factam populus a Parochiali Miſſa avocetur, tunc poſt hanc debet illa differri. Vide etiam de Nicollis *Tom. 2. pag.* 540. *n.* 50. 68. 69. docens contrarium infra *Num.* 81.

74. Patronus in publico Oratorio, cum Ordinarii facultate, pro ſe, ſuaque familia, Poſteris, ac Succeſſoribus habere poteſt ſepulchrum. Hoc nos vidimus in eleganti Oratorio Nobilium de Briuſchis, quod in Pago Pedecaſtri hujus Diœceſis ante annos fere centum erectum fuit, ac S. Antonio Patavino dicatum, in cujus medio lapis cernitur tumuli, ubi iidem Oratorii Jus patronatus poſſidentes ſepeliuntur. In VI. Concilio Provinciali Mediolanenſi de ſepulchris habetur hoc, inter alia, decretum: *Ne ſepulturæ locus quovis nomine cuiquam detur, neve ſepulcra fiant, conſtruanturve in ulla quavis Eccleſia, ſine Epiſcopi conceſſu ſcriptis exarato.*

75. Adnotante Van-Eſpen *p.* 2. *tit.* 38. *cap.* 2. *num.* 49. *pag. mihi* 613. hodie frequentia ſunt familiaria ſepulcra, acquiruntur que per hoc quod Chriſtifideles Eccleſias in ſuis fundis ædificent, Patronique ex eo effecti ſint. Etiam jus ſepulcrale vendito fundo, cui inhæret Jus patronatus, ad aliam familiam tranſit cum ipſo Jure patronatus. Ut tamen ex fundatione, & in fundatione jus ſepulcri acquiratur in Oratorio, reſervandum illud eſt in fundatione, ait Moſtazo *lib.* 5. *cap.* 7., & quidem expreſſe. Neque poteſt Parochus prohibere Patrono jus ſepulcrale in Oratorio, reſervata Quarta funerali eidem Parocho; prout legitur apud Pittonum in *citato volumine num.* 723. *pag.* 149. ex Barboſa *de offic., & poteſt. Parochi p.* 3. *cap.* 26. *n.* 22. & 23. *pag.* 306. Sacra Rituum Congregatio *in una Capuana ſub* 31. *Maii* 1629. reſpondit ad relationem Eminentiſſimi Cardinalis Pii, *Curatum Caſalis Caſæ pullæ Capuanæ Diœceſis non poſſe prohibere Alicornio Natali ejuſdem Terræ jus ſepulturæ pro ſe, & Succeſſoribus in Eccleſia per ipſum Alicornium ædificata, reſervata Quarta funerali proprio Parocho.* Poſtea dubitatum fuit, an eveniente caſu liceat ſepelire mortuos in dicta Eccleſia, ſine præſentia Curati prædicti, ſi vocatus venire noluerit, atque utrum idem fieri valeat, ſine licentia ejuſdem Parochi, ſi cum facultas poſtulatur, eam dare renuat. Eadem Sacra Congregatio Rituum, eodem Cardinali referen-

rente *ſub die 22. Decembris 1629.* cenſuit ,*ſi Curatus requiſitus intereſſe recuſet, vel petitam licentiam deneget, poſſe in dicta Eccleſia tradi ſepulturæ ſupradictorum corpora, ſine ipſius interventu, & licentia.*

76. Emolumenta Funeralia computantur inter Jura Parochialia, & cedunt in compenſationem laboris a Parocho adhibiti in adminiſtratione Sacramentorum, ut pluribus citatis Canonibus, & Auctoribus, ſcribit Joannes Baptiſta Pittonus in alias memorata *Collectione Conſtitutionum pag.* 353. *num.* 1645.

77. Non ſolum honorificum, verum etiam oneroſum eſt Jus patronatus, cum teneatur Patronus defendere Eccleſiam ab impugnatione, & de ipſa, ejuſque rebus ſollicitudinem accuratam habere, & bona illius tueri; inde enim ex *Num. 46. Patroni* denominatio manavit. Itaque Oratorii Patronus ex Jure ipſo privilegium oneroſum habet defendendi Oratorium, cujus ſibi competit patrocinium, omnes ei nocentes avertendi, quæcunque ad illud attinent conſervandi, & non ſinendi, ut quidquam lædatur ex iis, quæ munditiem, aut integritatem illius reſpiciunt; nam quum Fundator Patroni perſonam induerit, quæ boni Patroni partes ſunt, ex Jure tam antiquo, quam moderno, & tam Eccleſiaſtico, quam Civili, juxta congeſta in præcedentibus Capitibus, petitæ, explere diligenter debet.

78. Quemadmodum autem Patronus Oratorii ſui tutelam ſuſcepit, ita inſtar boni, ac fidelis tutoris, Oratorii tanquam pupilli, ac minorennis, redditus, & bona adminiſtrare debet; dotem nimirum Oratorii inſumendo in ejus reparationibus, providendo neceſſaria, & congrua pro Miſſæ Sacrificio, & ſimilia. Quum enim talium Eccleſiarum redditus modici eſſe ſoleant, vixque neceſſariis ſumptibus pares, & alii Adminiſtratores imperitiæ, incuriæ, aut avaritiæ cauſſa frequenter Eccleſiarum bona cum detrimento adminiſtrent; adminiſtratio bonorum, ac reddituum Oratorii publici nemini melius credi poteſt, quam habentibus Jus patronatus; quia ſicut ex devotione Oratorium conſtruxerunt, ita ex pietate, & fide, & diligentia rem illius omnem gerunt, & ex ſingulari affectu procurant; uti nos ipſi pluries adimpleri obſervavimus. Ea autem adminiſtratio multo magis convenit Patronis, ſi ſibi eam in fundatione reſervarunt, aut ab Ordinario demandari

ſibi

ſibi poſtmodum poſtularunt. Denique adminiſtratio Patronis relicta fomitem adimit perturbationibus, & litibus, præſertim cum Curatis. Dos igitur aſſignata Oratorio, ceteraque ei data, & oblata, Patronis cedunt velut Adminiſtratoribus. Perlegas Cap. X. & XXII.

79. Ex eodem oneroſo, aut potius ex honorifico jure, & utili, vel ex utriſque ſimul deſcendit, ut Eccleſia Juris patronatus erigi nequeat in Parochialem, ſine conſenſu Patronorum, ex deciſione Congregationis Epiſcoporum an. 1604. 1. *Jun. in Mantuana* apud Pittonum in *Collectione jam laudata* (minime prohibita) *pag.* 4. *n.* 11., & *pag.* 86. *num.* 419. ex Nicol. in *Floſcul. verb. Parochus num.* 1. Eadem vero lege, qua ad tuenda jura ſua poteſt prohibere Patronus, ne Oratorium convertatur in Parochialem, poteſt prohibere Parocho exercitium functionum Parochialium in Oratorio publico; nam qui poteſt plus, poteſt etiam minus; nam ex *reg. juris* 35. *in* 6. *Plus ſemper in ſe continet, quod eſt minus*, & ex 53. *Cui licet quod eſt plus, licet utique quod eſt minus*.

80. Ab antiquis uſque ſeculis competebat Fundatoribus jus nominationis (hodie *præſentationis jus* appellatur) per quam ipſi, prout fieri mandavit etiam Juſtinianus, ex Capite III., offerebant Epiſcopis Sacerdotes, ac Miniſtros Eccleſiarum ab iis approbandos, ordinandoſque. Ergo ſimiliter Patronus Oratorii publici eligere debet Sacerdotes ordinatos, qui Miſſas celebrent ibidem; adeoque Patronus pro ſua voluntate Sacerdotes admittere poteſt ad in ſuo Oratorio celebrandum, vel rejicere; nam Jus patronatus Oratorii publici cohæret cum Jure patronatus aliarum Eccleſiarum, ſive Parochialium, ſive Collegiatarum, & ſimillimum illi eſt; adeoque pari ratione, qua Patronus nominat, & præſentat, ac eligit ſive Parochum, ſive Canonicos, ſive quoſcunque alios ad Beneficia; etiam Patronus Oratorii eligit, prout ſibi arridet, quos vult Miſſas in eodem Oratorio celebrare, ſive Miſſæ ſint determinatæ, & quotannis celebrandæ, ſive celebrandæ ad libitum, hocque juxta Canonem *Monaſterium* 33. *C.* 16. *q.* 7. Iterum infra CAP. IX. Hinc a celebratione jus habet excludendi quoſcunque Sacerdotes, etiam Parochum, in cujus Paræciæ ambitu Oratorium exiſtit, non ſecus, ac Patronus a ſua præſentatione, ac nominatione poſſit excludere

F re

re omnes alios, ſeligendo, eum, quem mallet tantummodo, ſi is dignus eſt. Atque hæc ſunt apprime notanda; quia quum ex *Num.* 43. jus præſentationis ſit pars Juris patronatus potior, etiam jus admittendi ad celebrandum, & excludendi a celebratione Sacerdotes, pro libito Patroni, eſt pars potior, ac privilegium præcipuum habentis Jus patronatus in Oratorio publico. Ubi nota, non injuſte excludi etiam Parochum, ſi vellet celebrare, & conſecratam Euchariſtiam deferre ad infirmum. Vide Caput IV.

Subjiciam ex Laurentio de Nicollis *Tom.* 2. *pag.* 541. *num.* 69., quod cum quidam prævia licentia Ordinarii Oratorium conſtruxiſſet in platea Oppidi de Meya, in eoque fundaſſet, & dotaſſet Capellaniam Miſſarum 200. quolibet anno; & cum Ordinarius, qui erat Prior Eccleſiæ Parochialis, & Canonici impedirent, ne celebraretur diebus feſtis, & in feriatis, antequam in Parochiali celebrata eſſet Miſſa conventualis, nec tempore Quadrageſimæ; ac rurſus prætenderent cogere Capellanum ad aſſiſtendum Proceſſionibus, & Officiis, quæ fiebant in Parochiali, propoſitis dubiis, 1. an celebratio Miſſæ in dicto Oratorio publico poſſit impediri, vel retardari a dicto Priore: 2. an Capellanus poſſit ad Chori ſervitium obligari, præter voluntatem Teſtatoris: 3. an, & ad quas Proceſſiones teneatur; Sacra Congre. in *Nullius*, *ſeu Vigellen. Cappellaniæ die* 23. *Aug.* 1681. *ad* 1., *&* 2. reſpondit *Negative.* Quantum pertinet ad celebrationem Miſſæ, cum ageretur de Oratorio publico auctoritate Epiſcopi erecto, illæ Miſſæ nec in diebus feſtis, nec quolibet alio tempore prohiberi poſſunt, juxta *Gloſs. in cap. Si quis etiam verb. Orator. de conſecrat. diſt.* 1. nec prohiberi poteſt in hujuſmodi Oratorio celebratio Miſſæ antequam celebretur Miſſa in Parochiali, & Matrice Eccleſia, juxta decretum Sac. Congreg. Rit. quod refert Barboſa *de offic.*, *&* *poteſt. Parochi cap.* 2. *n.* 23. Ad tertium reſpondit, *teneri ad illas*, *ad quas de Jure*. Quænam autem ſint Proceſſiones, ad quas de Jure tenentur Capellani accedere, vide apud Barboſ. in *Sum. Apoſt. deciſ. collect.* 607. *num.* 1. Hactenus de Nicollis. Sacerdotes noſtræ Congregationis cauſſa neceſſitatis poſſunt ante, & poſt horam ſtatutam ab Eccleſia celebrare, ex Compendio privil. noſtrorum *pag.* 203. *tit. Miſſa* §. 6. Obſervante Ventriglia *Tom.* 2. *Annotat.*

19.

19. *n.* 18. *pag.* 200. In Oratoriis non curatis, maxime quæ ſub regimine Laicorum ſunt, non poteſt Epiſcopus licentiam concedere aſſervandi continuo, & permanenter Sanctiſſimum Sacramentum pro adoratione fidelium, ſed requiritur licentia Papæ.

81. Poſtremo jus *utile* nuncupatur Jus patronatus; quum Patrono ad inopiam, egeſtatemque perveniente, alatur de bonis, reditibuſque Eccleſiæ, cujus eſt Patronus, ſicuti Eccleſiaſticum Jus præcipit; quamvis alimentatio in fundatione minime fuerit reſervata. Verum quum in determinanda ſubventione Patrono debita opus ſit attendere Eccleſiæ facultates, ex uniformi doctrina Canoniſtarum cum Gloſſa *ad cap.* 25. *de Jure patronatus* ajente ad verbum *modeſte*, vel ut alia lectio habet, *moderate*: *Habito reſpectu ad facultates Eccleſiæ, & ad qualitatem perſonæ*; quumque aſſignatæ Oratoriis dotes vix eorum neceſſariis providendis ſufficiant plerumque; de hoc Juris patronatus, circa alimenta, privilegio, & parte pertractare non juvat.

82. Hæc ſatis firma ſunt, nec ullum hinc imminet præjudicium Parochialibus juribus, quod profecto cavendum eſſe colligitur etiam ex decreto in Act. Eccl. Mediol. *p.* 1. *pag. mihi* 148. *Ne in Oratorio, Eccleſiave, quæ vel nuper extructa eſt, vel impoſterum extruetur, Miſſæ celebrandæ facultas detur, permittaturve, niſi ſalvo jure, ac plane ſine præjudicio Eccleſiæ Parochialis, niſi ob cauſam Epiſcopo quandoque aliter videatur.*

Hæc hoc Capite, tum aliis præcedentibus evoluta, planam viam faciunt componendis pluribus Parochorum, ceterorum Sacerdotum, & Laicorum, præcipue Patronorum controverſiis, ſuper quibus & ego pluries conſultus fui; dirimendiſque hujuſmodi quæſtionibus, ſedandiſque litibus hoc Opus novum elaborandum curavi; cui ſcopo multum proderunt doctrinæ Canonici Juris tam antiqui, quam recentioris in ſequentibus Capitibus adornandæ.

F 2 CAP.

CAP. VI.

Jura Parochorum in Oratoriis publicis an aliqua, præſertim juxta minus recentem Eccleſiæ diſciplinam.

83. FRanciſcus A Moſtazo in laudabili Opere *de Cauſſis piis tom.* 2. *Lib.* 5. *cap.* 10. *num.* 58. conſulto enumerat jura Parochialia, ad innuendum, quomodo Parochus lædi poſſit in iis, quæ ad eum pertinent. Ergo inquit *pag.* 88. *edit. Venet.*: *Parochorum jura ad duo referuntur, nempe ad illa, quæ pertinent ad poteſtatem, & facultatem adminiſtrandi Sacramenta, & Euchariſtiam in Paſchate: ad jus ſepeliendi, & ad alia, quæ ſunt propria Parochorum, veluti decimæ, primitiæ, & oblationes, quartæ Parochiales. Altera etiam ſunt, quæ in Parochiis exercentur, veluti Panis benedictio, Candelarum, Palmarum, Cinerum: & hæc ſecunda proprie Parochialia non ſunt; cum enim etiam fiant in Eccleſiis Regularium, ideo his alia adjunguntur, nempe denunciare feſta, jejunia, & pacem dare.* Porro Jura hujuſmodi perſpectiſſima huic Auctori fuere, quum & doctus eſſet, & in Jure Eccleſiaſtico eruditus, & Parochus; erat quippe Rector inſignis Oppidi de Vallecas; & nullam mentionem facit juris ullius, quod Parochis ſuper Oratoriis Juris patronatus conveniat; quamvis iiſdem Libro, & Capite diſſerat clare de Oratoriis tam privatis, quam publicis. Nullum ergo ſuper publica Oratoria patronalia jus ineſt Parocho.

84. Pergit confirmare factam jurium Parochialium enumerationem adductis aliis Doctoribus, Barboſa in primis *ad Concilium Seſs.* 22. *C.* 8. *n.* 37., *Seſs.* 25. *de reformat. cap.* 12. *num.* 7. Tamburino *lib.* 1. *cap.* 4. §. 3. *n.* 12. altero Tamburino *de jur. Abbat. tom.* 1. *diſput.* 18. *q.* 6. *n.* 18. Trullench. *de jur. Paroch. cap.* 3., & concludit: *Unde qui Oratorium privatum* (adde publicum) *habuerit, his juribus præjudicium inferre nequit*; nihil quippe æquius decerni poteſt; cum beneficium uni conceſſum injuriam alteri, aut gravamen irrogare non debeat. Atque hanc jurium Parochialium integritatem Honorius III. *Cap. In his tit. de privil.* conſervari juſſit, dum Minoribus conceſſit, ut *ubique fuerint, ſine Parochialis juris præjudicio celebrare valeant.*

A nemine autem in dubium vocatur, Parochorum jura præcipue

in

in decimis, oblationibuſque, in Matrimonii, Baptiſmatis, & Paſchalis Communionis adminiſtratione, atque in ſepultura Eccleſiaſtica conſiſtere; adeoque in publico Oratorio, per quod nullum plane præjudicium inferri debet Parochi juribus, non poſſunt a Sacerdotibus adminiſtrari Sacramenta Baptiſmatis, & Euchariſtiæ in Paſchate (nota circumſtan-Paſchatis) & Matrimonii, ſine facultate a Parocho impetrata. Sed neque poſſunt Sacerdotes ibidem ſolemniter benedictiones facere Panis, Candelarum, Palmarum, Cinerum; quamquam de his benedictionibus ſolemnibus dubitari poſſet; quum non ſint proprie juribus Parochialibus connexæ, quum etiam extra Parochias exerceantur; atque eadem dubitatio locum habere poteſt circa publice, ſolemniterque denuncianda feſta, jejunia, pacemque dandam. Relinquuntur Parochis ſolis prope jus ſepeliendi mortuos, juxta tamen dicta *Num.* 74. &c. ac decimæ, primitiæ, oblationes (de quibus in capite X.) & quartæ Parochiales. Legas infra.

85. Auguſtinus Barboſa celebris Canoniſta, in Opere *de officio, & poteſtate Parochi p.* 1. *cap.* 12. probe ſecernit jura Parochialia, & functiones Parochiales a Juribus diverſas. *Functiones Parochiales*, inquit *n.* 1. *ſunt illæ, quæ a proprio Parocho fiunt, & quibus Capellarum, ſeu quorumvis Beneficiorum ſimplicium Rectores, Sacriſtæ, & Capellani ſe intromittere nequeunt; ſed tale officium ad ipſum tantum Parochum ſpectat.* Deinde a *num.* 2. *ad* 13. enumerat præfatas functiones, ſuntque benedictio Fontis Baptiſmalis, Sanctiſſimi Sacramenti delationes, & celebrationes Miſſarum Feriæ V. in Cæna Domini, & Sabbati Sancti, Candelarum benedictio in die Purificationis B. M. V., & earum diſpenſatio, Cinerum benedictio primo Quadrageſimæ die, Palmarum benedictio in die Dominico proximo Paſchati; ac ſubjungit, Sacram Rituum Congregationum de omnibus ſupradictis functionibus Parochialibus agentem *in Alatrina* 5. *Martii* 1633. cenſuiſſe, benedictionem Candelarum, Cinerum, Palmarum, & ſimilium a Curatis in eorum Eccleſiis Parochialibus peragi debere: Ergo non in Oratoriis vel Juri patronatus obnoxiis. Progreditur ad reponendum inter Parochiales functiones, ſive aſperſiones domorum in die Sabbati Sancti, ſive proceſſiones per Parochiam faciendas. Has functiones Parochis adjudicat,

con-

congeſtis Doctorum ſuffragiis in hanc rem una cum Romanis Decretis; quibus tamen vim adimunt Jura, & Decreta recentiora afferenda in ſequentibus Capitibus.

86 *Hactenus*, proſequitur Barboſa *num.* 16. *pag.* 147. *de functionibus Parochialibus, quæ ſunt diverſæ a jure Parochiali, quod ſeptem modis conſideratur, in quibus ipſum conſiſtit, videlicet in audienda Miſſa in diebus feſtivis in Parochia, ut in cap. Dominicis de Paroch., in decimis, in oblationibus, in pœnitentiis recipiendis, in exhibitione Sacramentorum, in ſepulturis, & in benedictionibus nubentium*. Videsne inter jura Parochi, aut inter ejus functiones, locum habere aliquem jus illud, quod quidam Parochi immerito penitus ſibi arbitrantur adſcriptum, ut celebrare valeant in Oratoriis, invitis eorum Patronis? Vides ne circa iſthæc Oratoria delatum quidpiam Curatis? At quid Juris, perſpicies ex ſequentibus Capitibus melius.

87. Quæri poſſet, an ſit accenſenda Parochialibus officiis admiſſio Mulierum ad purificationem poſt partum? Pignatellus quæſtionem expendit *tom.* 5. *Conſultat.* 76. ac primo affirmat, Regularibus licere ſuis in Eccleſiis Mulieres ad purificationem poſt partum admittere. *Magna*, ait *pag.* 164. *n.* 1., *& primaria ratio eſt, quod admiſſio Mulierum poſt partum ad purificationem, non eſt functionis Parochialis*. Et *num.* 2. *At vero dicendum eſt, præciſa legitima conſuetudine, ſpectare ad Parochum privative quoad Regulares, atque alios quoſcunque*: quod ſequentibus *numm.* variis, ſed non æque firmis rationibus, & obſervationibus ſtabilire conatur. *Num.* 11. notat, ita religioſe obſervari Romæ, & Mediolani ex Concilio Provinciali *p.* 1. *tit.* 30., *& p.* 2. *n.* 2. atque alibi, conſtatque, inquit, ex Rituali Romano per Paulum V. edito; & Gavantum noſtrum laudat ſuper Rubricas Miſſalis p. 4. tit. 19. n. 1., & 20. obſervantem, quod benedictiones, quæ ſunt in Miſſali a quocunque Sacerdote, citra præjudicium jurium Parochialium, fieri poſſunt; quæ vero ſunt in Rituali, ut eſt benedictio Puerperæ, ad Parochos proprie pertinent. Ea a Sacramentali Ambroſiano Actorum *p.* 4. *pag.* 505. ſolis Parochis reſervatur, iiſque ſolis competere, comprobat Vaneſpenus *p.* 2. *cap.* 5. *tit.* 2. Adde Pittonum *pag.* 225. *num.* 617.

Nec licet baptizare in Oratorio cuiquam, nec Parocho, ex Actis Eccl.

Me-

Mediol. *p.* 4. *pag.* 502. *Neque autem in privatis ædibus, Oratoriis, alio- ve loco, præterquam in Eccleſia Parochiali, baptiſmalive, ſolemniter bap- tizabit*. Sed poteſt miniſtrari Pænitentiæ Sacramentum, juxta Decre- tum, quod legitur *pag.* 225. ex Concil. Provinc. V. *Omnes vero videant, ne extra Eccleſiam, Oratoriumve Confeſſionem audiant, præterquam ægro- tantium, etiam virorum, niſi ob urgentem neceſſitatem.*

88. Idem Pignatellus *To.* 6. *Conſult.* 98. *num.* 85. recenſet Paro- chialia jura, quibus præjudicium nequit inferri propter privata Ora- toria, ex illa clauſula: *Sine tamen quorumcumque Jurium Parochialium præjudicio*. Jura autem Parochialia non ſolum ſunt decimæ, primitiæ, & aliæ oblationes, ſed etiam ea, quæ ſpectant ad Sacramentorum ad- miniſtrationem, videlicet Baptiſmi, Euchariſtiæ in Paſchate, Viatici, & Extremæ Unctionis, ac Matrimonii. Sepultura quoque comprehendi- tur (niſi hæc alibi eligatur, aut fuerit a Majoribus ſelecta) decimæ (niſi aliter ſit proviſum) aliaque Parochis debita ex legato, vel alia cauſſa; nec cuiquam, ſecluſo Parocho, ait, licet pacem dare, denunciare Feſta, & jejunia, ac Matrimonia, & ſimilia. Et quamvis non Parocho adimat poteſtatem miniſtrandi Euchariſtiam in Paſchate; nihilo ta- men minus in ſequentibus probat, Euchariſtiæ miniſtrationem perti- nere ad Parochialem juriſdictionem; & opus fuiſſe Pontificiis privile- giis, ut Regularibus conferendæ Euchariſtiæ poteſtas fieret. Juxta Concilii Tridentini Decretum *Seſs.* 24. *de Reformat. cap.* 13. Sacramen- ta promiſcue, ordinarie loquendo, nequaquam decet adminiſtrari; ſed Parochi ſuos noſcere debent, & eum ſui; cum ſit Parochus ordi- narius Miniſter Sacramentorum, cui convenit jus prædicandi, confeſ- ſiones audiendi, atque impertiendi Sacramenta; prout ſtatus illius, ac Parochianorum exigit, ſepeliendi, decimas, & alia Parochialia jura recipiendi, ut ait Gerſonius Pariſienſis Cancellarius *de poteſtate Eccleſiaſtica conſ.* 12. apud Vaneſpenium *p.* 1. *tit.* 3. *cap.* 1. *pag.* 14.

89. Atqui quamvis admittenda hæc videantur, ſoliſque Parochis jure ordinario deferatur Euchariſtiæ, aliorumque Sacramentorum, quo ad proprios Parochianos, collatio; non tantum Regulares, ſed qui- cumque Presbyteri, etiam Seculares ſolent hodie paſſim, citra ſpecia- lem Parochi Sacerdotis conſenſum, ac licentiam, quibuſvis petenti-

bus

bus Euchariſtiam divinam dare, ſaltem extra tempus Paſchatis; Religioſi quidem in ſuis Eccleſiis, & Seculares Sacerdotes in Sacellis, aut Eccleſiis, in quibus coram publice accedente populo Miſſa celebratur: quæ conſuetudo antiquiſſima ſit, oportet; quum veriſimile valde ſit, habuiſſe eam exordium, poſtquam etiam in Eccleſiis Monachorum, & Regularium, & in aliis Sacellis publicæ Miſſæ cæperunt celebrari, uti notavit cl. Vaneſpenius *p.* 1. *tit.* 4. *cap.* 1. *n.* 22. hac aſſignata *n.* 23. congrua ratione; quoniam quum communio ſit quaſi pars ipſius Sacrificii, conſequens viſum fuit, ut ubicunque liceret intereſſe divino Miſſæ Sacrificio, ibi etiam poſſet unuſquiſque particeps illius eſſe recipiendo Sanctiſſimam Communionem; *atque ita tandem jus Eccleſiæ Parochialis ad ſolam Communionem Paſchalem, & Parochorum ad hujus* (Communionis Paſchalis) *nec non Viatici adminiſtrationem redactum creditur*. Quare merito dicimus, ſine Parochi facultate miniſtrari, ac recipi poſſe Sacram Euchariſtiam in Oratoriis publicis Juris patronatus extra Paſchatis Reſurrectionis diem. Videndæ Literæ Benedicti XIV. P. 13. *Novembris* 1742. ad Italiæ Epiſcopos ad ſedandas lites circa diſpenſationem Euchariſtiæ in Miſſis privatis obortas.

90. Quum ex his omnibus de juribus, ac muniis Plebanorum, ſeu Parochorum (que duo nomina cum aliis duobus, *Rectoris*, & *Curati*, ex Barboſa *de offic.*, *& poteſt. Parochi p.* 1. *cap.* 1. *n.* 43. *pag.* 10. synonima cenſentur) a nobis pertractatis eluceat, Parochum eſſe quaſi caput Parœciæ ſuæ, primariumque, ac ordinarium Eccleſiæ ſuæ Rectorem, conſequitur, neminem, qui aliquo ſpeciali titulo munitus non ſit, poſſe in Parochiali Eccleſia ſacras quaſcunque obire actiones, abſque ſpeciali licentia Plebani: quod cavit opportune Synodus Namurcenſis *an.* 1639. *tit.* 3. *cap.* 43. in hæc verba: *Nullus aliquod officium in aliena Eccleſia, ſine Paſtoris ejuſdem loci licentia, facere præſumat*, & fundata eſt intentio Parochi in aſſiſtentia Juris communis pro exercitio omnium actuum Parochialium privative ad quoſcunque alios, Rota *deciſ. recent. p.* 13. *deciſ.* 231. *pag. mihi* 275.

91. Simili etiam modo, ſine Patroni licentia, in Oratorio nemo ex Eccleſiaſticis muniis quidquam attentare poteſt; ſed cum ea licentia, ſalvis juribus Parochialibus, & Miſſæ tam privatæ, quam ſolemnes,

nes, ac Vèſperæ item ſolemnes, non audito Parocho, peragi queunt. Eccleſiæ enim inter Parochiæ limites conſtitutæ ex *cap. finali de offic. Archid.* Parochiali dumtaxat ſubſunt, quo ad jura Parochialia, & quatenus Parochialis magis exigat, ipſi incumbit onus probandi titulum, juxta *cap. dilectis de capellis Monachorum*, inquit Cavalieri *Tom.* 3. *pag.* 98. De his omnibus iterum in proximo Capite ad normam Juris recentioris.

CAP. VII.

Dubiorum nonnullorum refertur enodatio, inſpecta recentiore diſciplina quoad Parochorum jura.

92. HActenus præfatam tradidi theoriam jurium, ac functionum Parochialium eorumque veſtigiis inhæſi, qui elapſo ſeculo ſcripſerunt, vel ſub finem illius publici juris fecerunt labores ſuos, uti ſunt Barboſa, Moſtazo, & Pignatellus. Nunc vero quid fuerit ab eo tempore ſancitum, eſt inquirendum, & quomodo lites, atque controverſiæ novis Decretis diremptæ ſint, diſpiciendum accurate hoc Capite duxi. *Hodie functiones privativæ, quæ ad Parochos ſpectant, & quæ in viridi obſervantia ſunt, ad pauca reducuntur*, ait Monacellus *To.* 1. *tit.* 10. *pag.* 299. (qui tamen hìc perperam confundit jura Parochialia cum functionibus, cum neceſſario latiſſimum agnoſcatur diſcrimen) nimirum ad delationem Stolæ in proceſſionibus funeralibus, ad Benedictionem domorum in Sabbato Sancto, ad perceptionem decimarum, ad adminiſtrationem Sacramenti Euchariſtiæ tempore Paſchatis, & infirmitatis, ad retentionem clavis tabernaculi, & rerum, quæ pertinent ad Sacramenta, ad Benedictionem Sponſorum, & Cadaverum defunctorum, antequam e domo leventur, ad publicationem Matrimoniorum, Excommunicationum, & Indulgentiarum. Hæc non niſi a Parocho, vel de ejus licentia exerceri, & expleri valent. Additur Benedictio Fontis Baptiſmalis, & quod tempore Quadrageſimæ poteſt de mane in ſua Eccleſia prædicare, non obſtante conſuetudine, quod in ſola Eccleſia Matrice, vel alia concio fiat. At quia ſuper jurium Parochialium intelligentiam, & exercitium emanarunt nova Decreta, ſeu unicum Decretum in plura diviſum ex Sacra Rituum

Congregatione, ideo operæ pretium reor illud prænoſcere.

93. In Decreto Urbis, & Orbis edito per Sacram Rituum Congregationem *anno* 1703. *die* 10. *Decembris*, & approbato a Clemente P. XI. *die* 12. *Januarii* 1704., quod *& publicari, & non obſtantibus quibuſcumque aliis in contrarium facientibus, ſervari mandavit*, quodque continet reſponſiones ad plura dubia circa lites creberrime naſcentes inter Parochos, & Confraternitates Seculares, earumque Capellanos ſuper juribus Parochialibus, & functionibus Eccleſiaſticis; definitum fuit in reſponſione ad quintum dubium, Benedictiones, & diſtributiones Candelarum, Cinerum, & Palmarum, non eſſe de juribus mere Parochialibus: In reſponſione ad VI. dubium, Benedictiones Mulierum poſt partum, Fontis Baptiſmalis, Ignis, Seminis, Ovorum, & ſimilium, non eſſe de juribus mere Parochialibus; ſed Benedictiones Mulierum, & Fontis Baptiſmalis fieri debere a Parochis. Ad VII. dubium, quod erat, an functiones omnes Hebdomadæ Sanctæ ſint de juribus mere Parochialibus: Reſponſum fuit, *Negative, prout jacet*.

94. Dubium decimo loco propoſitum fuerat ſuper celebratione Miſſarum ſolemnium per annum, ſive pro vivis, ſive pro defunctis, an ea eſſet de juribus mere Parochialibus. Dubium XII. An expoſitio, quæ fit cum Reliquiis, vel Sacris Imaginibus, & Benedictio, quæ cum eis fit ſuper populo, ſit iiſdem juribus accenſenda. XVI. An Capellani Confraternitatum poſſint populo denunciare Feſtivitates, & Vigilias occurrentes in hebdomada, abſque licentia Parochi. XVII. An Parochus invitis Confratribus docere poſſit Doctrinam Chriſtianam in prædictis Eccleſiis, & Oratoriis publicis, vel privatis a Parochiali diviſis, & ſeparatis. XVIII. An in prædictis Eccleſiis publicis Confraternitatum poſſint haberi publicæ conciones, & per totum curſum Quadrageſimæ, vel Adventus, cum licentia Ordinarii, & abſque licentia Parochi. XIX. An in eiſdem Eccleſiis poſſit celebrari Miſſa ſive lecta, ſive cantata, ante Miſſam Parochialem, ſive lectam, ſive cantatam. XX. An ad Parochum ſpectet facere Officium funebre ſuper cadaveribus ſepeliendis in ſæpedictis Eccleſiis, & Oratoriis publicis Confraternitatum. XXI. An intra ambitum earumdem Eccleſiarum fieri poſſint Proceſſiones, juxta cujuſque Confraternitatis inſtitutum, abſque interventu, vel licentia

Pa-

Parochi. XXII. An eædem Proceſſiones fieri poſſint extra ambitum dictarum Eccleſiarum, abſque licentia illorum Parochorum, per quorum territorium tranſeundum eſt. XXIII. An in dictis Proceſſionibus Capellani Confraternitatum poſſint deferre Stolam.

95. Subjicio e veſtigio ad dubia reſponſiones præfatæ Congregationis. Ad X. Negative, prout jacet; ſed licere Confratribus dumtaxat in Feſtivitatibus ſolemnioribus ejuſdem Eccleſiæ, vel Oratorii, ut in Brunduſina ſub die 1. Junii 1601. Ad XII. Negative; & quoad Benedictiones cum Reliquiis, & Imaginibus ſerventur Decreta. Ad XVI. Affirmative. Ad XVII. Negative (niſi tamen aliter jubeat Epiſcopus, juxta reſolutiones allatas a Lambertino *Notificat.* 17. *volum.* 5. Sac. Congr. Concil. 8. *Auguſt.* 1722., & 29. *Aug.* 1733.) Ad XVIII. Affirmative. Ad XIX. Negative; niſi aliter Epiſcopus diſponat. Ad XX. Affirmative, quando tumulandus eſt ſubiectus Parocho, intra cujus fines eſt Eccleſia, vel Oratorium. Ad XXI. Affirmative. Ad XXII. Negative, niſi adeſſet licentia Epiſcopi. Ad XXIII. Negative, extra propriam Eccleſiam.

96. Hæc omnia cum aliis in Sacra Congregatione Cardinalium ſuper Ritus Eccleſiaſticos præfectorum, fuerunt examinata, & deciſa, ad finem imponendum ſuper contentionibus Parochorum; & quum propria iſtorum jura cuſtodirentur integra, tamen deliberatum fuit, nullam ex enumeratis Eccleſiaſticis functionibus, cæremoniis, & Benedictionibus ad mera Parochialia jura ſpectare, ita ut libere in aliis Oratoriis publicis ad petitionem, aut nutum eorum, quibus eorum cura, ſeu cuſtodia, vel patrocinium, ſeu Patronatus incumbit, & ſine injuria Parochorum fieri queant. Priuſquam enim reſolutiones, declarationeſque indicatæ prodiiſſent, tutius ab Oratoriis publicis Miſſa ſolemniter cantata, Benedictiones, & diſtributiones Cinerum, Candelarum, & Palmarum ablegari poterant, quia nondum penitus exploratum habebatur, utrum illa in claſſe jurium Parochialium continerentu. Sed ſemel emiſſa declaratione Sacræ Congregationis Rituum, ſublatum fuit fundamentum eaſdem Sacras Cæremonias ab Oratoriis excludendi.

97. Quin immo eadem Congregatio eaſdem ſacras Cæremonias

in Oratoriis privatis Confraternitatum etiam fieri poſſe, reſolvit; nam quum dubium VII. contineret, an functiones omnes Hebdomadæ Sanctæ ſint de juribus mere Parochialibus, & dubium VIII. reſpiceret Miſſam ſolemnem Feriæ quintæ in Cæna Domini, & dubium IX. primam pulſationem campanarum in Sabbato Sancto; & dubium XI. Expoſitionem quadraginta Horarum, & benedictionem, quæ fit ſuper populo; utrum nempe illa Miſſa, illa prima pulſatio, hæcque Expoſitio revocarentur ad jura Parochialia; fuiſſetque reſolutum ad VII. Negative prout jacet: ad VIII. Negative, prout jacet, *ſed ſpectare ad Parochos*; & ad IX., *Negative, prout jacet, ſed ſpectare ad Eccleſiam digniorem, ad formam Conſtitutionis Leonis X. la* 22. §. 14. Ad XI. *Negative*; propoſitum poſtea fuit XIII. dubium hoc pacto: *An functiones in præſentibus octo dubiis, videlicet, a dubio quinto ad duodecimum expreſſæ peragi poſſint in Oratoriis privatis contradicente Parocho*; reſolutio hæc manavit, *ſatis proviſum in ſuperioribus*; quibus aperte innuitur, dictas functiones poſſe fieri a Capellanis in Eccleſiis, & Oratoriis ſeparatis a Parochia, licet intra limites ejuſdem, ut obſervat Lambertinus *Notificat.* 17. *vol.* 5. *pag.* 251. quidquid dicat Monacellus *Tom.* 2. *tit.* 13. *Form.* 1. *n.* 54., *& ſeqq.*, cum aliquibus aliis, qui dicunt, quod quamvis functiones in V. dubio expreſſæ non ſint de juribus mere Parochialibus, adhuc non inde valeat inferri, quod poſſint ſolemniter expleri in Oratoriis Confraternitatum; ſed Monacellum, & alios confutat ibidem Lambertinus inconcuſſis fundamentis, eos erraſſe certiſſime oſtendens. Ad primum dubium concluſum fuerat, Confraternitates Laicorum legitime erectas in Eccleſiis Parochialibus habere dependentiam a Parocho in explendis functionibus Eccleſiaſticis non Parochialibus; & ad ſecundum dubium, dictas Confraternitates erectas in Capellis, vel Oratoriis tum publicis, tum privatis annexis Parochialibus Eccleſiis, & ab eis dependentibus habere dictam dependentiam a Parocho, quoad dictas functiones; & ad tertium, Confraternitates erectas in aliis Eccleſiis publicis, non habere quo ad eaſdem functiones aliquam dependentiam a Parocho, intra cujus Parochiæ limites ſitæ ſunt Eccleſiæ; & ad quartum, Confraternitates erectas in Oratoriis tum publicis, tum privatis, ſejunctis ab Eccleſiis Parochialibus, quo

ad

ad dictas functiones Eccleſiaſticas non habere dictam dependentiam a Parocho: quæ totidem fere Decreti verbis recitavimus.

98. Si ergo eædem functiones in privatis quoque Oratoriis Confratrum permittuntur, quis revocabit in dubium, an eædem fieri valeant in Oratoriis publicis de mandato Patronorum, aut aliorum, ad quos ſpecialis attinet cuſtodia eorumdem Oratoriorum publicorum, etiamſi contradicat Parochus, etiamſi nec ipſe invitetur ullatenus? quia Sacræ illæ Cæremoniæ non turbant, nec invadunt jura Parochorum; quum hæc ad illas neutiquam extendantur. Hinc a prædictis Oratoriorum publicorum legitimis, veriſque Cuſtodibus, aut Patronis celebrari etiam ſolemniter poterit feſtum Sancti Titularis cum Miſſa ſolemni, uſu Incenſi, copia Clericorum, & Sacerdotum Miniſtrantium, aliiſque ſimilibus Cæremoniis, & Veſperis pariter ſolemnibus, ceteriſque ſolemnis diei ſignis, inconſulto Parocho. Neque id demit quidquam juribus ejus; neque dedecet; quia quoties in Oratoriis publicis peraguntur ſolemnitates, frequens, atque copioſus eſſe ſolet populi numerus illuc confluentis, qui ibi ad divina Officia congregatur; & hinc Feſtivitas debito non caret honore; adeoque nec turbatur ſtabilitus, receptuſque ordo *Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, juxta quam hujuſmodi ſolemnia tantum celebrantur in Eccleſiis, ac Oratoriis publicis, in quibus frequens populorum conventus eſſe ſolet*, inquit Gattico *cap.* 28. *num.* 14.

99. Non diſſimulandum tamen, diſtributiones Cinerum, Candelarum, & Palmarum, quas in privato quoque Oratorio non ægre fert Moſtazo *Lib* 5. *de Cauſſis piis cap.* 10. *n.* 58. *pag.* 88. pene dumtaxat majoribus Eccleſiis congruere; quum Cinerum ab Eccleſia Ritus fuerit inſtitutus ad ſubjiciendos quadantenus Fideles exercitio publicæ pœnitentiæ; & Candelarum Cæremonia ad reprobandam fædam Lupercalium ſuperſtitionem, publicumque Deo honorem præſtandum; & Palmarum delatio ad Chriſti Domini triumphum ſignificandum fuerit inducta. Qua de re, præter eruditos Scriptores Martenium, Vicecomitem, Gavantum, perlege ornatiſſimum Theologum Joannem Laurentium Berti de Theologicis Diſciplinis, virum omnis ſapientiæ copia præditum, cujus judicio, præ ceteris Eruditis, quæ edidi de natura divinæ

vinæ Gratiæ, probata ſunt ſive in Libro contra Archiepiſcopum Senonenſem, ſive in Breviario Hiſtorico.

Ex dictis, & ex aliis inſuper inſtruendis argumentis illud tamquam plane compertum, & regulæ inſtar habendum reſultat, Parochum de Jure nihil ſibi vindicare poſſe circa Oratoria patronalia, ſeu Juri patronatus obnoxia, nihilque prorſus circa ea competere ſibi, niſi ut impedire queat, ne lædantur, ob hujuſmodi ædes ſacras, jura Parochialia. Atque hæc ſi aliquando lædi videant Parochi, adire debent Ordinarium, nec pro libito aliquid tentare contra Jurium Parochialium violatores, quos fruſtra, & imprudenter divexant non raro; cum nempe Parochi ipſi a recto procedendi ordine declinant.

100. Illis ergo de cauſſis fere ſolis majoribus Eccleſiis videntur eæ functiones relinquendæ; ideoque earum ſolemnia, ex prudenti Epiſcoporum mandato, licite prohibentur in minoribus quibuſdam Eccleſiis, ac ubi modicus eſſe ſolet numerus fidelium; de quo, ex quibuſdam Decretis Sacræ Congregationis ſuper negotia Epiſcoporum, & Regularium, teſtes habemus Hieronymum Nicolium in Floſculis verbo *Benedictio*, & Monacellum *Formul. Fori Eccleſiaſ. tit.* 13. *n.* 60. *&c.*, quamvis apertum, & inconcuſſum ſit, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis 28. *Aprilis* 1607. *in Oſtienſi*, memorato a P. Merati in *ſuo Indice num.* 55. *regulariter* poſſe illas Benedictiones, & diſtributiones fieri *in omnibus Eccleſiis*, *tam Collegiatis*, *quam Parochialibus*, *tam Secularibus*, *quam Regularibus*; & ex Decreto *anni* 1703. hujuſmodi Benedictiones haud pertinere ad Parochialia Jura. Eidem Decreto annexa quædam memorabimus Cap. XIII.

101. In eodem *anni* 1703. Decreto nulla mentio occurrit Adſperſionis Aquæ benedictæ, qua Sacerdos celebraturus fideles adſtantes aſpergit; quia forte perſuaſum fuerat, eam cenſeri in numero functionum fere unice Parochialium, prout deduci poteſt ex Nannetenſi Concilio can. 4. ex Capitul. Hincmari ad ſuos Parochos *cap.* 5. ex Leone IV. *de cura Paſtorali*, & *Capitularibus* Caroli M. *lib.* 5. Ac profecto iſta Aquæ benedictæ Adſperſio, juxta Rubricam ante Miſſam peragenda diebus Dominicis, aliquam ſolemnitatem conjunctam habere videtur, ob quam obtinet in ſolis iis Eccleſiis, ubi Miſſa *Conventualis*, ſolemnique

que

que ritu canitur, non in Eccleſiis minoribus, licet in his celebretur aliquod Feſtum ſolemne etiam in die Dominico. Dixi Adſperſionem cenſeri in numero Functionum *fere unice* Parochialium, non *mere* Parochialium, cum non me lateat, virum eruditiſſimum P. Brunum in Expoſitione Miſſæ plura congeſſiſſe Monaſtica teſtimonia, quæ compertum faciunt, hunc ritum in Monaſteriis etiam viguiſſe; indeque poſtea derivavit ad alias Eccleſias Regularium, & Conventuales, in quibus cum omnia prope Officia divina, & ſolemnes Cæremoniæ celebrarentur, Populuſque frequens accederet, irrepſit cum aliis ſolemnitatibus etiam ritus iſte Adſperſionis, quem primum ſolæ fere retinebant Parochiales Eccleſiæ. Ergo licet *unice* non attineat ad Parochiales Eccleſias Adſperſio iſta, ableganda tamen ab Oratoriis publicis.

102. Subjiciam pauca de duobus, quæ ad ſolos demandantur Parochos, eorumque juribus includuntur, ut Baptiſmus, Matrimoniorumque celebratio. Neminem, ex vi Canonum, ſecluſa neceſſitate, baptizare poſſe, deſpecto Parocho, puto eſſe indubitatum, nam Cathecumenos ſacro fonte regenerare provinciæ eſt Paſtorum, atque Rectorum; quare olim ſolos propemodum Epiſcopos Baptiſma conferre conſueviſſe; ideoque ſæpe olim in Urbibus unicum Baptiſterium parari conſueviſſe, norunt Diſciplinæ Eccleſiaſticæ periti. Qua propter nemo privatus ſibi facultatem aut poteſt, aut debet arrogare, ut Baptiſmum in publico Oratorio miniſtret. Quin immo neque Parocho id licet, eo quod mandatur Parochis, ex Legum Eccleſiaſticarum diſpoſitione, ne baptizent extra publicum Baptiſterium; niſi neceſſitas aliqua valde gravis, omiſſis quibuſcumque ſolemnitatibus Eccleſiaſticis, baptizare in domo privata Infantem urgeat; tunc enim profecto licebit ſacram hanc habere actionem in aliquo publico Oratorio vicino. Qua de re, præter Clementinam unic. *de Baptiſ. tit.* 15. habemus mandatum S. Caroli *p.* 4. *Actor. Eccleſ. Mediol. in Paſtorali Inſtructione Baptiſmatis ad Parochum*: *Neque autem in privatis ædibus, Oratoriis, aliove loco, præterquam in Eccleſia Parochiali, Baptiſmalive ſolemniter baptizabit*.

103. Non aliter exiſtimo de Matrimonio, quod ex Sacroſanctæ Synodi Tridentinæ Decreto *Seſs.* 24. *de Reformatione Matrim. cap.* 1. non ſolum valide nequit celebrari ſine Parochi proprii, aut alterius

vices

vices ejuſdem gerentis præſentia; ſed etiam a veteribus Patribus enixe optabatur, ut Matrimonium in loco publico, ac in Eccleſia ſolummodo celebraretur, impertita per proprium Sacerdotem Benedictione ſuper Sponſum, & Sponſam. Cujus ritus teſtem habemus Martenium, præ aliis, id comprobantem ex Vetuſtorum Sacramentariis, ac Ritualibus Libris *Lib.* 1. *de antiq. Eccleſ. Rit. cap.* 9. & hodie, inquit Gattico cap. 28. *nonniſi ex ſpecialibus Epiſcoporum diſpenſationibus graviſſima ſolum cauſſa urgente concedendis, extra publicam Parochialem Eccleſiam celebrari Matrimonia permittuntur*. Quare non licet eorum celebrationem tentare in publicis Oratoriis cuiquam, nec ipſi Parocho. Quum vero, remota omni controverſia, unum ſit ex juribus Parochorum celebratio Matrimonii; quumque in Parochiali Eccleſia unice ſit ea facienda; in eadem quoque Eccleſia, non in Oratoriis, coram omnibus faciendæ erunt denunciationes Matrimonii, Concilii Tridentini Decreto in loco ſuperius laudato jubente, ut eæ fiant *ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus feſtivis in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia publice*.

104. Progrediamur modo nonnullas alias reſolutiones afferre Sacræ Rituum Congregationis in eodem anni 1703. Decreto, quod integrum legitur in Bullario *Tomo* 7. *editionis Luxemburg. an.* 1727. *pag.* 432., *& ſeq.* Dubium *ſub num.* 24. propoſitum hoc exſtitit: An Epiſcopo accedenti ad Eccleſias publicas Confraternitatum, quæ non ſint Regularium, neque proprium Rectorem Beneficiatum habeant, porrigendum ſit Aſperſorium a Parocho, in cujus territorio ſunt dictæ Eccleſiæ: Reſponſum eſt, *Ad XXIV. Negative*. Obſerva igitur, etiam in Oratoriis præcipue Juris patronatus, accedenti Epiſcopo, vel alteri Delegato ad ea viſitanda, Aſperſorium a Patrono porrigendum illi eſſe, non a Parocho, cui nullum jus in Oratoriis congruit vel in viſitatione, vel extra viſitationem; quum tamen non ignorem, Parochos id ſibi curare vindicari; ſed certe contra Jus, & non juxta Decreta Romana.

105. Dubium XXVI. fuit, an in ſæpedictis Eccleſiis Confraternitatum, neque Parochialibus, neque Regularibus, retineri poſſit Euchariſtiæ Sacramentum, ſine ſpeciali Indulto Sedis Apoſtolicæ. XXVII.

Præ-

Præſuppoſita facultate retinendi, an poſſit infra annum publice exponi, ſine licentia Ordinarii. XXVIII. An poſſit Parochus ſe ingerere in adminiſtratione oblationum, vel eleemosynarum in ſæpedictis Eccleſiis recollectarum, vel capſulæ pro illis recipiendis expoſitæ clavem retinere. XXX. An Confraternitates, ſive ſint erectæ in Eccleſia Parochiali, ſive extra illam, poſſint pro libito, & juxta uniuscujuſque peculiaria Statuta Congregationes ſuas facere, abſque interventu, vel licentia Parochi. XXXI. An poſſint propria bona adminiſtrare, ac de illis diſponere, abſque ulla dependentia a Parocho. XXXII. Quando Parochus eiſdem Congregationibus interſit de mandato Ordinarii, & tamquam ejus Delegatus, an poſſit ſuffragium deciſivum ferre, & quatenus affirmative. XXXIII. An etiam ſuffragium duplex.

106. Ecce reſponſiones ad ſingula: ad XXVI. Negative. Ad XXVII. Negative. Ad XXVIII. Negative. Ad XXX. Affirmative, dummodo non impediant functiones, & divina Officia. Ad XXXI. Affirmative. Circa XXVIII. XXX. XXXI. nota Sac. Cong. Concil. reſpondiſſe die 24. *Martii* 1725. *Affirmative* ad dubium propoſitum, *An Reverendiſſimus Epiſcopus in aliquo caſu per ſe, vel per alium ab ipſo deputandum poſſit intervenire Congregationibus generalibus*. Item *Affirmative* ad dubium, *An liceat Reverendiſſimo Epiſcopo removere Officiales, & Miniſtros a Confratribus electos, quatenus non ſint idonei, & graves exceptiones patiantur*; & concordat reſolutio altera 17. *Novemb.* 1736. Ad XXXII. Negative. Ad XXXIII. Negative.

Quum omnia prope reſponſa Decreti, totumque fere Decretum attulerimus, licet hinc cognoſcere, ad quosnam terminos Confratres in ſuis privatis, publiciſque Oratoriis, ceterique publicorum Oratoriorum patrocinium, adminiſtrationem, vel ſollicitudinem gerentes, & Cuſtodes Deputati, extendi valeant; ſimulque pateſcit, quomodo recentiores ſanctiones nonnihil diſcrepent a doctrinis, aut ſtatutis præcedentium Auctorum, quos deferere debemus, dum quidquam ſcribunt Juri recentiori, aut novis ſanctionibus contrarium, quas ipſi nec audierunt, nec compertas habere potuerunt, utpote nondum editas. Hæc monui, ne quis forte nimium incaute, minus recentibus ſanctionibus, aut Scriptoribus Jura Parochialia paſſim ultra

limites protendentibus, aurem præberet facilem; quum ea, quę poſtmodum definita, & ſtabilita fuerunt, ſint attendenda; nam derogatur prioribus per nova, & poſteriora Jura, declarationeſque magis novellas; nam ex adagio Juris, *poſteriora derogant prioribus*, Monacellus in *Supplem. deciſ.* 1. *n.* 28. cum aliis.

107. Supereſt dicendum de adminiſtratione Sacramentorum Pænitentiæ, ac Euchariſtiæ in Oratoriis publicis. Sed paucis ſermonem expedio; neque enim, ut primum de Sacramento Pænitentiæ verba faciam, prohibetur in hujus naturæ Oratoriis illud adminiſtrare, Sedeſque Confeſſionales illic haberi; quum conſpexerim in publicis Oratoriis, etiam non Confraternitatum, in hac noſtra Diæceſi Mediolanenſi conſuetudinem obtinere paſſim Confeſſiones audiendi; ac in eiſdem Oratoriis egomet non ſemel Pænitentium Confeſſiones excepi. Si enim Sacerdos ſit legitime approbatus, nec inconſultus ſit Parochus, adminiſtrari ordinarie poteſt Pænitentia in omni publico Oratorio; neque id a Statutis, aut ſaltem a generali conſuetudine abhorret Legi æquivalente, quæ eum dumtaxat locum ordinarie pro abſolutione Sacramentali, Sacraque Communione approbant, qui publicus, & ſacer fuerit. Junge Caput ultimum.

108. De Euchariſtica Communione potior ratio dubitandi occurrit. Verum ex alibi dictis cenſeo indubitatum, de Jure Parochorum eſſe diſtribuere Communionem Paſchalem; nam ex Conſtitutione Clementis VIII. P. *an.* 1592. oportet ſaltem, *ut Seculares Chriſtifideles Sacramentum Euchariſtiæ die feſto Paſchalis Reſurrectionis in propria Parochia ab eorum Parocho ſumant*. Secluſa Communione Paſchali, quæ juribus Parochialibus eſt immixta, quilibet Sacerdos miniſtrare Communionem poteſt, ſine ſibi facultate data a Parocho, & ſine petita, & quilibet fidelis de cetero diſpoſitus Communione refici poteſt in Oratorio publico, in eoque etiam celebrari poteſt Miſſa, & in ea peragi Conſecratio ad Communionem infirmis deferendam (tamen non inaudito Parocho) ut continua praxis a me obſervata in hac Diæceſi oſtendit. Conſulerem tamen, frequentius eſſe recipiendam Sacram Synaxim in Parochiali Eccleſia, ubi cetera recipi ſolent a fidelibus Sacramenta, quam in Oratoriis publicis.

Re-

Referente de Nicollis *Praxis Canonicæ To. 2. pag.* 540. *n.* 63. in Oratoriis tam privatis, quam publicis prohibuit Sac. Congreg. Rituum decreto in *Hiſpalen.* confirmato 24. *Novemb.* 1696. canere Muſica lingua vernacula, licet ſint cantiones, & verba ſpiritualia.

109. Quænam fuerit priorum ſeculorum in Oratoriis publicis diſciplina, nondum plene perſpicio. Multa equidem Oratoria ne dum privata, at & publica certo Veteres habuerunt. De prioribus fidem fecimus; de poſterioribus vero inde indubitanter deducitur, quia plurima Oratoria, tam in Villis, quam in Urbibus extructa, committebantur cuſtodiæ Clericorum, ut in iis ipſi divina agerent officia, reconditas ibidem Reliquias Sanctorum ſervarent, omnibuſque ſacra illa loca inviſentibus orationis cauſſa, aditum præberent; ac de his ante Concilia Epaonenſe an. 517. *can.* 25. Arvernenſe *an.* 535. *can.* 15. loquitur Concilium Agathenſe *anni* 506. *can.* 21. alibi laudatum a nobis. In eodem publicorum numero collocantur Oratoria, quæ vel poſtea ex fidelium devotione, pietateque in Baſilicas ſunt ampliata (prout liquet ex S. Gregorio Turonenſi, qui *lib.* 1. *de gloria MM. cap.* 64. ædiculam in honorem S. Patrocli fabricatam prius appellat *Oratorium*, dein poſtquam fuit in ampliorem formam redacta, *Baſilicam* vocat) vel Parochiæ evaſerunt. Publicorum item notionem obtinent Oratoria SS. Joannis Baptiſtæ, & Joannis Apoſtoli Baſilicæ Conſtantinianæ juncta, de quibus Anaſtaſius Lib. de Vitis Pontificum in Vita Hilarii P., & Symmachi, plurimaque alia in loco omnibus aperto fabricata. Neque hinc ſolum manifeſte colligitur, in viis publicis fuiſſe olim extructa Oratoria publica, ſed ex Oratoriis, quæ diverſis in locis numerantur ab eodem Anaſtaſio Bibliothecario, evincitur, ea fuiſſe etiam in Regiis, atque Conſularibus viis. Recole caput IV. cum I.

110. Immo quia bene cohærere poſſunt hæc duo; nempe aliquod ædificium in fundo alieno, & in domo alicujus excitatum eſſe; & adhuc aditum in loco, ac via publica omnibus patere; propterea exiſtimo plura apud Antiquos recenſita Oratoria in domibus aliquorum, aut alieno fundo ædificata, eo modo fuiſſe publica, ut in viis publicis patentem ingreſſum relinquerent omnibus. Equidem dum, deſtructis profanis ædificiis, opera piorum hominum erigebantur in eorum fun-

 dis

dis Oratoria, in Dei honorem, ac Sanctorum cultum vere in alieno fundo, ac aliorum domibus ædificata dicebantur. Hinc plurimæ Eccleſiæ, Capellæ, aut Oratoria Laicali Juriſdictioni ſubjecta erant, quia in Laicorum fundis excitata. Pariter animadvertitur, non novellam eſſe diſtinctionem inter Oratoria publica, & privata, quam longa annorum ſerie viguiſſe nemo ullus inficiabitur. Quamvis autem veterum Oratoriorum publicorum diſciplinam pro omni ſui parte nondum plene dignoverim, licet nequeat dubitari de eorum a privatis Oratoriis, Parochialibuſque Eccleſiis diſtinctione, quæ tamen & ſit, & eſſe debeat hodierna diſciplina, ſpeciatim circa limites Parochorum, eorumque auctoritatis, ignorare non poſſumus; perſpectis maxime tot Decretis, Sanctionibus, Statutiſque & Romanis, & Synodalibus. Nec V. ineunte Eccleſiæ ſeculo facile propriis nominibus appellata legi Oratoria, ſervato publici, & privati Oratorii appellationum rigore, quem deinceps neceſſitas diſcernendi loca orationis publica a privatis adhibere coegit.

Ex his, tum ex aliis cumulandis ſcopum attingere confido, quem mihi, inter alia, propoſueram in hoc argumento, de quo nemo hactenus accuratam exhibuit theoriam; ut nempe finis imponatur prætenſionibus, frequentiſſimiſque quæſtionibus, quas circa publica Oratoria commovent Curati, Sacerdotes, Confraternitates, Laicique plures.

111. Unde, inſpectis his omnibus, non difficulter intelliguntur, quæ Doctores ſcribunt de Officio, & juriſdictione, ac poteſtate Parochorum, ipſos videlicet in actu curæ animarum gerere vices Ordinarii, ipſos intra propriam Eccleſiam debere ceteris præcedere in dicendis Miſſis ſolemnibus, & aliis quibuſcumque præeminentiis concernentibus officium Parochi, licet extra officium ſuum aliis poſtponatur Curatus; hunc, ſtatim ac provideatur de Parochiali Beneficio, ſitque Sacerdos, habere juriſdictionem ordinariam in foro Pænitenriæ circa omnes ſuæ Paræciæ fideles, & cenſeri, quo ad hoc, lege approbatum, abſque alia nova facultate ſibi per Epiſcopum facienda: quæ legi poſſunt apud Barboſam *p. 1. cap. 9.*, *& p. 2. cap. 19.* alioſque Auctores.

112. Sed ultra poteſtatem fori Pænitentialis, Jura Parochialia Eccleſiæ, & Parocho competentia ſunt ſequentia, enumerante Ferraris *v. Parochia edit. an.* 1752. I. quod Parochiani proles ſuas proprio

Pa-

Parocho teneantur baptizandas offerre. II. Ut ſaltem in Paſchate Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipiant in propria Eccleſia Parochiali. III. Ut ſolum a proprio Parocho Sacramentum Extremæ Unctionis percipiant. IV. quod mortui in Parochiali Eccleſia ſepeliri debeant, niſi alibi ſepulturam Majorum habeant, vel propriam eligant. V. quod in Eccleſia Parochiali coram proprio Parocho Matrimonia ſolemni ritu celebrentur. VI. quod Parocho ſolvi debeant decimæ, primitiæ, & oblationes.

113. Ulterius etſi juriſdictio Parochorum ab Epiſcopo pendeat, eique ſubjaceat, non eſſe tamen illam delegatam, ſed ordinariam, nec poſſe, ſine legitima cauſſa, aut prorſus auferri, aut adeo imminui, ut fere inanis remaneat, docuit Benedictus XIV. Summus Pont. in elaboratiſſimo Opere de Synodo Diæceſana *Lib. 5. cap. 4. num. 3. pag. mihi* 188. *edit. Ferrar: ſeu Venet.*

114. Etenim primas honoris, ac muneris partes Parocho ſuum officium proſequenti, propriam intra Eccleſiam, deferri debere, inficiatur nemo; ſed eundem in aliis circumſtantiis locum honoris, & actionis debere relinquere, ſibique minime poſſe vindicare, extra aleam dubitationis plane eſt poſitum; ſicut enim, teſte Theodoſio de Rubeis apud Barboſam *p. 1. cap. 9. n.* 3. Epiſcopus patri in domo reverentiam exhibere debet, licet patrem præcedat in Eccleſia, & ibidem a patre honor filio Epiſcopo tribuatur; quum unuſquiſque in proprio officio ceteris omnibus præferatur; quamvis extra illud poſtponatur: ita nemo aut Sacerdos, aut Patronus in Oratorio ſuo, ex mero titulo Juris patronatus, ſibi poteſt vindicare aliqua ex iis, quæ vel jura, vel functiones Parochorum conſtituunt, eorumque officio adhærent in propria Eccleſia Parochiali, aut in aliis Eccleſiis intra Paræciæ fines extantibus, ſed Patronos non habentibus. Hinc

115. Barboſa citatis Libro, & Capite *num. 5. pag.* 118. ſcite, & caute ſcribit, Curatum *intra propriam Eccleſiam* debere aliis quibuſcumque majoribus, & ſuperioribus præcedere in celebratione Miſſarum ſolemnium, ceteriſque præeminentiis concernentibus *ipſius Rectoris Officium*. Quare extra propriam Parochi Eccleſiam, in Oratorio Juri patronatus addicto, & intra quod Parochus omni deſtitutus eſt juriſdictione, ſine licentia illius, atque etiam contra illius voluntatem, Miſ-

ſa

ſa ſolemnis celebrari poterit; in Oratorio enim hujuſmodi ſolemnem celebrare Miſſam Parochi ut Parochi officium non eſt; nec ejus juriſdictionem lædit; nec quæ Curato intra propriam Eccleſiam conveniunt, uſurpantur; nec iis, quæ attinent ad curam animarum (nota) Curato concreditam, præjudicium infertur. Videri in hanc rem poſſet Diana *Tomo* 4. *Tract.* 2. *reſolut.* 29. *pag. mihi* 34.

116. Jacobus Pignatellus *To.* 1. *Conſult.* 17. *n.* 10. *pag.* 22. *edit. Venet.* affirmat, Parochum conſtitui veluti executorem eorum, quæ ad animam concernunt; & *To.* 3. *Conſult.* 48. *n.* 22. *pag.* 114. affirmat, Parochum habere juriſdictionem in ſuum Parochianum in ordine ad ea omnia, quæ ad ſuum officium pertinent, quod in cura animarum ponitur, quodque poteſt exercere in quovis loco. *Nam*, inquit, *hæc juriſdictio eſt in ordine ad bonum ſpirituale, ac proinde in quocunque loco illam exercere poteſt, tamquam Paſtor ſui ſubditi, in cujus officio gerit vices Chriſti*; & ubi non poteſt agere ut Paſtor, exercere illam nequit.

117. Agnoſcis, puto, huc omnes Doctores, omniaque Jura collineare, ut Curatorum propria munia contineri aſſerant in admniſtratione Sacramentorum, ceteriſque, quæ ſpiritualem ſalutem animarum, & veri earumdem Paſtoris obligationes includunt. Quum itaque officium Paſtoris animarum, & Miniſtri Sacramentorum nihil affine præſeferat juri celebrandi privatim, vel ſolemniter in Oratorio Juri patronatus addicto, ideo illo celebrandi jure caret Parochus; & quicumque habens Jus patronatus, jus quoque habet vocandi, adhibendique quoſcunque Sacerdotes ad celebrandum ſive ſolemniter, ſive privatim in ſuo Oratorio, non impetrata prius, immo nec petita a Parocho facultate. Vide ſuperiora, & Urſayam *to.* 5. *diſcept.* 7. *n.* 62. *pag.* 45. adducentem Rotæ deciſionem in *Forolivien. Jur. Paroch.* 7. *Decembris* 1716. §. *Ea vero cor. Lancet. Juris aſſiſtentia, ait Rota, quam e contrario deducere poteſt Parochus ratione ſituationis intra fines Parochiæ, non adeo abſolute accipienda eſt, ut ei pro ſuo libito licitum faciat exercere Jura Parochialia, & Eccleſiaſticas functiones in quavis Eccleſia, intra fines ſuæ Parochiæ exſiſtente; ſed tantum eſt intelligenda, ut operetur, quod Parochus ſit ſolus in tota Parochia in exercitio Jurium Parochialium abſque eo quod in hujuſmodi exercitio quiſquam alius umquam ſe poſſit immiſcere, & ita de facto*

Do-

Doctores interpretantur hanc Parochialem juriſdictionem. Quid clarius pro re noſtra deſideras?

118. Animadverte, quæſo, ita fuiſſe in Concilio I. Provinciali Mediolani a S. Carolo Borromeo ſancitum *Actor. Mediol. Eccl. p. 1. pag.* 8. *Nemo Clericus, vel Laicus in ſuis ſecularibus Eccleſiis, Capellis, vel Oratoriis, quamvis ab Ordinario probatis, etiamſi Juris patronatus ſint, quemquam ſecularem, vel regularem Sacerdotem celebrare patiatur, qui ſcriptam celebrandi facultatem, ſingulis ſex menſibus renovandam, ab Epiſcopo non impetrarit*: quod decretum refertur etiam a noſtro Jo: Paullo Paravicino in *Polyanthea Sacrorum Canonum v. Oratorium*. Quis neget, hunc fuiſſe locum opportuniſſimum aſſerendi, attribuendique Parocho facultatem celebrandi, aut permittendi, ut celebretur in Oratoriis Juris patronatus? Attamen ſolius Epiſcopi in eo Decreto mentio occurrit, ſoliuſque Epiſcopalis facultatis. Quid igitur concludendum, niſi nihil Parocho, quoad Oratoria Juris patronatus, competere umquam, aut circa privatas, aut circa ſolemnes Miſſas? Quare adhuc per utraſque intacta ſervantur jura, functioneſque Parochorum, ſi eas velit Patronus.

119. Dubitari poſſet, an in Oratorio publico Juris patronatus poſſit, inaudito Parocho, doceri Doctrina Chriſtiana. Sententia noſtra, quum inſtruere populum proprie ſpectet ad Parochi munus, nemo, Parocho inconſulto, in eo Oratorio *ordinarie*, & *ex officio* concionari poteſt, vel docere publice Doctrinam Chriſtianam. Sed cum aliud ſit hæc munia obire *ordinarie*, *ex officio*, & *cum ſignis publici ſpeciatim demandati miniſterii*; aliud hæc explere aliquoties, tamquam ſi privatus quis eſſet inſtructor, & catechiſta: idcirco hoc ſecundo modo licet, non audito prius Parocho, docere populum Doctrinam Chriſtianam, & intra Miſſam, vel extra eam inſtructione aliqua, vel concione eum ad pietatem excitare, aut panegyricam Orationem recitare. Quare *anno* 1675. Jo: Baptiſta a Galbiato Montis Barii Conventus PP. Reformat. S. Franciſci Guardianus, jure, ac merito obſtitit Parocho Navæ, qui de Religioſo quodam ejuſdem Conventus conqueſtus eſt, eo quod in die Purificationis B. M. V. Sermonem habuerit ad populum inter celebrandum in Oratorio Pedecaſtri publico, cum a Patronis illius Oratorii Nobilibus de Briuſchis invitatus, & rogatus fuiſſet Religioſus idem ad-

ce-

celebrandum , & ad Sermonem habendum . Recole *Num. 94., & 95.*, & Cap. vide XXI., & XXII. præter IX., & X.

Adverto denique cum Lambertino *Notificat.* 17. *vol.* 5. poſt edita Decreta *anni* 1703. a Sanctiſſimo confirmata , juxta illa ſemper judicatum fuiſſe a Sacris Congregationibus , & aliis Romæ Tribunalibus , præfatas functiones in Eccleſiis, & Oratoriis Confraternitatum , niſi obſtiterit vel priſca conſuetudo , vel Synodus aliqua Diæceſana , fieri poſſe .

CAP. VIII.

Difficultates potiſſimæ circa Parochorum Jura diſſolvuntur.

120. INter Decreta promulgata a D. Carolo in Synodo Diæceſana Mediolanenſi V. ſub *titulo de pertinentibus ad cultum Eccleſiarum p.* 3. *Actorum Eccleſiæ Mediol. pag. mihi* 466. legitur Decretum in hunc modum : *Campeſtrium , & aliarum ruralium Eccleſiarum claves a Parocho teneantur , niſi alii id a Reverendiſſimo Archiepiſcopo committatur; neque in illis quidquam profani reponatur ; cureturque omni ratione, ut clauſæ ſerventur* . Huic conforme eſt Decretum alterum allatum ex *Syn. Diæc.* 35. *decr.* 30. a Corio noſtro *in Epitome v. Oratoria pag.* 275. *n.* 16. *Parochi habeant penes ſe clavem unam Oratorii intra fines Parochiæ ſuæ degentis , relicta altera in manu fidelis , & probatæ vitæ cuſtodis ejuſdem Oratorii* . Idem præcipitur in Concilio Provinciali IV. Mediol. *Act. p.* 1. *pag.* 129. circa Oratoria ſita in via tit. de iiſdem : *Oratoria , ubi Miſſæ Sacrificium non fit , in viis , & ejuſmodi locis poſita , altare nullum omnino habeant . Valvis , & clave ab oſtio muniantur . Quæ clavis a Parocho cuſtodiatur* .

121. Ergo, inquies, Parochis a V. Diæceſano Concilio jus delatum eſt, & onus cuſtodiendi Oratoria ſaltem illa, quæ extra Civitatem ædificata ſunt in Diæceſi Mediolanenſi , quamvis Patronos habeant; cum hujuſmodi Oratoria ſint campeſtres, & rurales Eccleſiæ; cum vel extra Pagos, vel in Villis ſint conſtructa . Sed ſi tribuitur earumdem Eccleſiarum clavis ſoli Parocho ad illas cuſtodiendas , is procul dubio habet jus celebrandi in iiſdem , & celebrationem quibuſcumque aliis Sacerdotibus ibidem permittendi , vel impediendi . Quapropter

exten-

extenduntur Parochialia jura etiam ad Oratoria Juris patronatus. Accipe tamen reſponſionem.

122. De tertio Decreto per Synodum Provincialem IV. condito dicere non juvat; cum ad ſola Oratoria, ſeu Capellas, quæ conſtruuntur ſolius devotionis, & non Miſſæ celebrandæ cauſſa, referatur. Itaque de ſolo priore Decreto ſermonem inſtituens nunc (nam de ſecundo poſtmodum) non immerito affirmo, nullum jus ex eo Decreto tribui Parochis circa Oratoria ſive campeſtria, ſive ruri ædificata cum Jure patronatus; etenim ſub illo Decreto eæ ſolæ includuntur Eccleſiæ, aut Oratoria publica, quæ nullum habent Patronum, cui de Jure eorum cuſtodia, & cura omnis competat; nam ſicut Patronis honor, ac utilitas Juris patronatus convenit; ita & onus Eccleſiæ ſuæ conſervandæ, cuſtodiendæ, defendendæ, ex dictis Cap. IV. & V. Nam ex regula Juris 77. *in 6. Rationi congruit, ut ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore*: quæ regula de hærede Patroni intelligitur a Phœbeo *de reg. Jur. Canon. pag.* 341. quia hæres *ſicut ſuccedit in honore Juris patronatus, etiam ſuccedit in onere defendendi Eccleſiam, aliiſque annexis Juri patronatus*. Verum ob parem rationem de ipſo etiam Fundatore, & primo patronatus poſſeſſore intelligi poteſt, ac debet, juxta aliam regulam 55. *in. 6. Qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & e contra*; & cohærent Canoniſtæ in harum regularum expoſitione.

123. Præterea regula altera Juris, nempe 81. *in 6.* controverſiam videtur dirimere: eam accipe: *In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus*; ut ſi quis ab Epiſcopo conſtituatur Vicarius cum generali totius Diœceſis adminiſtratione, non intelligitur ab Epiſcopo donatus etiam facultate conferendi Beneficia, aut illa gerendi, quæ ſpeciale requirunt mandatum; nam hanc facultatem Epiſcopus veriſimiliter non eſſet in ſpecie conceſſurus. Eadem de cauſſa generalis commiſſio facta Legato a Summo Pontifice, non dilatatur ad cauſſas fidei.

124. Quod ſi inquiras, quænam ſint ſpecialia iſta, de quibus veriſimiliter præſumi poteſt, non fuiſſe comprehenſa ſub generica expreſſione reliquorum; reſpondet Phæbeus *pag.* 347. inter alia, dignoſci *ex eo, quod aliquod ſpeciale ſit contra Jus commune, contra quod non ſunt re-*

 liqua

liqua, quæ veniunt ſub generali conceſſione. En autem caſus. Non eſt contra Jus commune, ut Parochis demandetur cura Eccleſiarum, & conſequenter iis etiam tradantur claves earum in eundem finem; unde generalis eis, Parochis ſcilicet, datur conceſſio, & juſſio de cuſtodia earumdem: Aſt juri communi adverſatur commiſſio Parochis facta, de cuſtodiendis Eccleſiis, ſeu Oratoriis, quibus Jus patronatus annectitur; nam ex communi Jure, ex praxi, ex conſuetudine antiquiſſima plurium ſeculorum, cura, & cuſtodia; ideoque claves quoque Eccleſiarum pertinebant ad ſolos Patronos earum, quando in Beneficium ipſæ erectæ nondum fuiſſent, aut mutatæ. Atque hodie viget conſuetudo, ut Patroni apud ſe unicam habeant clavim Oratorii ſui publici, nullam Parochus: & cum non ſemel a Parochis altera clavis poſtuletur, eis a Patronis fiirmiter denegatur, & merito; nam nullo jure ſibi eam Parochi acquirere poſſunt. Quinimmo etiam ſcio apud aliquos Patronos in more poſitum eſſe, ut ſolo tempore autumnali ſua aperiant Oratoria ruralia publica, quorum claves vel ruri reconditas, vel ſecum ad Urbem delatas, reliqua anni parte caute cuſtodiunt.

125. Non eſt igitur locus ſuſpicandi, & multo minus affirmandi, a Diæceſana Synodo ablatam fuiſſe Patronis, vel extenſam etiam ad Parochos, ſimul cum Patronis, cuſtodiam Oratoriorum publicorum; quum ſecus contra commune Jus, contra praxim, vetuſtiſſimamque conſuetudinem Synodus proceſſiſſet; adeoque id in ſpecie Synodus præfata Mediolanenſis Parochis nequaquam conceſſit; quum nemo, niſi probetur, contra Jus commune, & Juris communis interpretem conſuetudinem (utique legitimam, & legi conformiſſimam in præſenti argumento) cenſendus ſit quidquam ſtatuere, aut tentare.

126. Corroboratur ratiocinium fundamento altero æque firmo, ſimillimoque *ex reg. 45. in 6. Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit*. *Veriſimilius* autem intelligitur illud, quod eſt Juri, vel naturæ rei conforme, ut explicat Menoch. *conſ.* 191. apud Phębeum *pag.* 255. qui notat, inde patere fundamentum hujus regulæ; nam in obſcuris, ideſt, ubi nihil eſt certum, ſequi debemus quod magis accedit ad verum, aut quod in communi conſuetudine frequentius eſt; quia etiam conſuetudo eſt legitima interpres, ita ut nonnum-

numquam habeatur etiam pro lege . Quare licet concederem , Decreto prædicto dubitari poſſe , ne includatur Eccleſia Juris patronatus; attamen Decretum , ex vi prædictæ regulæ, judicandum eſſet eo ſenſu præditum , ut intacta relinquat Oratoria Juris patronatus ; cum id & ſit veriſimilius , & plerumque fieri ſoleat , & Legibus deprehendatur prorſus conſentaneum .

127. Non deſunt alia fortiſſima Jurium ſubſidia . Quando enim celebratum fuit Concilium Diæceſanum V. ſub S. Carolo , abuſus deteſtabilis irrepſerat ; quia Eccleſiæ in campis , & Pagis exſiſtentes , modico in honore , & deſpectui fere habebantur, ita ut profana in iis fierent, & fere inſtar ſtabulorum haberentur; quemadmodum legitur eodem loco , eademque *pag. Actor. Mediol. Eccleſiæ* 466. Cui maximo ſane malo Synodus opportunum volens afferre remedium , ad illud tollendum mandavit Parochis , ut earumdem Eccleſiarum claves apud ſe haberent, ut clauſæ illæ ſervarentur , & quidquid circa illas profani contingebat ex malitia , vel neglectu hominum , ſedulo præpediretur . Ergo neceſſitas evellendi abuſum eundem , ut ſervaretur integra ſanctitas , honor , & nitor ſacris ædibus, compulit Synodum ad Decretum , de quo diſceptamus , edendum . At *in argumentum trahi nequeunt , quæ propter neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa* , ex *reg. jur.* 76. *in* 6. Ergo cum nunc ſublatus ſit abuſus , decuſque domibus Deo dicatis cuſtodiatur , non ſibi poſſunt Parochi tamquam debitum exigere jus tenendi penes ſe claves Eccleſiarum ; nam ceſſante fine , ob quem cuſtodia clavium Parochis eſt relicta , ceſſat etiam Legis, ac Decreti privilegium , & obligatio . Huc etiam facit , dicam cum Reiffenſtuel *Tom.*6. *pag.* 113. principium illud, quod expreſſe legitur in *c. Cum ceſſante* 60. *de Apellat* : videlicet , *ceſſante cauſſa, ceſſat effectus*, de quo videri poteſt Tiraquel. *in Tract. ceſſante cauſſa* , & alii .

128. Certiſſimis hiſce , ac minime ambiguis Juris Canonici regulis eo utor libentius, quod e Jure Civili fere ad verbum decerptæ ſint , eique ſint quam maxime conſentaneæ . Verum inſuper nolo prætermittere quod apud omnes indubitatum exiſtimatur, præceptiones nempe, quamquam generalibus formulis expreſſas , exceptionibus præbere locum , ſi exceptiones in Jure nitantur; aut ſi his non præcludatur aditus,

quando maxime præcludendus videatur. Utrumque autem impræſentiarum occurrit fundamentum apponendi præfato Decreto limitationem, aut exceptionem, per quam adimatur Parochis omnis facultas, & niſus omnis ad quærendas, retinendaſve claves Oratoriorum Juri patronatus ſubditorum.

129. Primo enim non Juri ſolum, ſed etiam praxi, aut conſuetudini nititur exceptio hujuſmodi: Juri, quia Patroni ſimplicium Eccleſiarum, nullo ſcilicet Beneficio connexarum, ſemper ſub tutela, & ſollicitudine propria illas habuerunt; neque, niſi riſu ſe dignum exhiberet quicumque autumaret, quod, quando antiquitus Oratoria ædificabantur in Villis, aut Caſtris, ob nimiam diſtantiam ab Eccleſia Parochiali, Parochus vel claves eorum haberet, vel ad ea cuſtodienda ſollicitudinem aliquam impenderet: ſed ſicuti inconſulto Parocho eligebantur a Patronis Miniſtri Presbyteri ad Sacrum in iis peragendum, ita penes ſolos Patronos ſollicitudo omnis, quoad Oratoria eadem, erat.

Neque Eccleſia Legibus ſuis derogavit Patronorum privilegiis, ſed immo auxit ea, confirmavitque, ac in Corpore Juris ea inſeruit; ut nunc ex juſtitia debeatur Patronis, quod olim gratioſe Patronis Eccleſia tribuebat; ut alibi dixi. Non repetam, quæ ſatis nitide, ac ſolide in ſuis locis demonſtravi. Quum ergo Decretum Diœceſani Concilii non exprimat, ſubdendas eſſe Parocho etiam claves Oratoriorum Juris patronatus; ideo non obeſt generalis ſententia verborum Decreti, tribuens eaſdem Curatis; & ſolum obeſſet, ſi inveniretur expreſſe comprehenſum etiam Oratorium quodlibet Juris patronatus, ſecundum regulam juris *in ff.* 195. *pag. mihi* 1910. *Expreſſa nocent, non expreſſa non nocent*; quemadmodum, teſte Schmalzgrueber *to.* 3. *tit.* 38. §. 5. *n.* 165. ſi Jus patronatus tamquam laicale alicui ex fundatione, conſtructione, dotatione ante competiit; ut ab hac ad aliam perſonam cenſeatur translatum per privilegium (de quo alibi) hujus fieri debet expreſſa mentio; quia Juri patronatus laicali per privilegium ſuum Pontifex numquam derogare cenſetur, niſi hoc exprimat. Similia habet cum communi Doctorum *n.* 250. hac aſſignata ratione, ne Principes, & Domini ſeculares a piis fundationibus retrahantur, ſi videant prærogativas, & pri-

vilegia ſibi conceſſa, in quorum conſecutionem proprias divitias conſumpſerunt, paſſim, & abſque urgente cauſſa tolli.

130. Ne dum Juri, ſed etiam praxi, & conſuetudini ſive antiquę, ſive modernæ, & hodiernæ conforme eſt, ut & cuſtodia, & defenſio, & ſollicitudo, proinde etiam claves (quæ illarum ſunt indicium, & argumentum) Oratoriorum maneant apud Patronos ſuos; ut abunde reſultat ex dictis. Verum etiam per Decretum allatum Synodi Mediolanenſis jus omne adimitur Parochis, ſeu iiſdem nullum tribuitur jus vel ſuper claves, vel ſuper Oratoria; nam ſi ullum jus tributum fuiſſet, id clare exprimi debuiſſet, & præcludi aditus omnis exceptioni Oratoriorum Juris patronatus, ſignanter eo Decreto; quum Oratoria Juris patronatus fuerint expreſſe nominata, quando ceteris legibus, ordinibus, ac decretis generalibus illa ſubmittere operæ pretium duxerunt Synodi, ac Præſules Eccleſiarum. Atque ne ab Actibus Eccleſiæ Mediol. diſcedamus, in Inſtitutionibus variis circa Eccleſias *p.* 4. *pag.* 807. *edit. Mediol. an.* 1599. vetat S. Carolus, admittere in aliqua Eccleſia, Capella, aut Oratorio, etiam Juris patronatus, aliquem Sacerdotem Secularem, vel Regularem ad celebrandum in perpetuum, vel ad tempus, abſque Archiepiſcopi facultate ſcripta.

131. Conſimile manavit Decretum e Concilio I. Provinciali a nobis integrum relatum *Num.* 118. ad Clericos, & Laicos, ubi locus non patet ad excipiendas Eccleſias, Capellas, vel Oratoria Juris patronatus; quia decretum expreſſe includit omnem Eccleſiam, Capellam, ac Oratorium Juris patronatus; ut fecit S. Carolus in ante laudata Inſtructione; quum nihil magis vel rationi, vel recto ordini conſonum videatur, quam ut innoteſcat Epiſcopo Ordinario loci, quinam, & cujus vitæ, ac integritatis Sacerdotes Sacrum permittendi ſint facere in ſua Diæceſi; ne cuiquam non probato viro, infami, irregulari, aut Eccleſiaſticis cenſuris irretito ſacratiſſimi Altaris Miniſterium obtingat.

132. Hinc igitur colliges, ſine dubio fuiſſe expreſſa mentione inclusa Oratoria Juris patronatus, quando erant includenda: quemadmodum inſuper omiſſa eſt expreſſa illa mentio, quoties omittenda fuit; ut in Actis prædictis *p.* 4. *pag.* 732. &c. ubi fuſe agitur de loco celebrandi, de Oratoriis privatis, & publicis, & de facultate obtinenda

ab

ab Archiepiſcopo, de frequentia celebrandi in Oratoriis, de Eccleſia Matrice, aliiſque facultatibus, ac ceteris ad locum celebrandi ſpectantibus; & nihil prorſus animadvertitur circa licentiam ullam poſcendam, vel impetrandam a Parocho ad celebrandum in Oratoriis Juris patronatus; quum tamen locus hic opportuniſſimus videretur de licentia eadem, vel de clavibus a Parocho ſervandis aliquid ſancire; præſertim cum ibidem multa alia minoris momenti exacte ſancita legantur.

133. Quod hoc Capite gerendum propoſueram, mihi videor oſtendiſſe, Decretum ſcilicet Diæceſani Concilii V. nihil præjudicii attuliſſe Patronis Oratoriorum, nihil ſuper patronatis Oratoriis ſibi delatum blandiri poſſe Parochos, ſive inſpectis evidentibus Juris principiis, & regulis, & antiquiſſima, ac etiamnum vigente conſuetudine; ſive obſervatis aliorum Decretorum formulis, in quibus ſine præjudicio Jurium Patronis competentium, legi alicui ſubjecta fuerunt Oratoria; ſed hæc ipſa, eorumque mentio, omiſſa ſunt, quando per legem, aut Decretum aliquod lædi poterant Jura Patronorum.

134. Hinc evidentius meridiana luce liquet, per aliud Decretum allatum *Num.* 120., & memoratum a Corio, *Parochi habeant penes ſe* &c. non fuiſſe collatum Parochis Jus retinendi unam clavim Oratorii Juris patronatus, relicta altera in manu Patroni; nam ex ſolide probatis, certa Juris Canonici, & Civilis principia oſtendunt, tale Jus Parochis eſſe ademptum penitus; & ex alia parte illud Decretum jubet alteram clavim ab illa Parochi diverſam relinqui *in manu fidelis, & probatæ vitæ cuſtodis*. Quare hoc, ubi ſupra omnino ex ſimilibus cauſſis antea demonſtratis non memoratur Patronus, niſi quia Patrono ſoli de Jure competere ſupponitur cuſtodia Oratorii? nec ulla erat cauſſa, ut hujuſmodi officium cuſtodiæ Patrono adimeretur; & quando aliqua exſtitiſſet cauſſa, hæc debuiſſet clare exprimi; ſicut debuiſſet clare exprimi nomen *Patroni*, ut Juri communi derogatum cenſeretur per illud Synodi Diæceſanæ Decretum. Unde Decretum non loquitur de Oratorio Patroni; ſed de eo, quod nullius curæ eſt commiſſum.

135. Præter ſcopum hic minime eſſe judico obſervare cum Joanne Michaele Cavalieri, viro in Eccleſiaſticis peritiſſimo, *Tom.* 1. ſuorum *Commentariorum pag.* 65., quod Eccleſiæ intra Parochias conſtitu-

tæ

tæ in ſuis functionibus nullatenus per ſe a Parocho dependent: quod ex tenore Decretorum per Sacram Rituum Congregationem editorum *die* 10. *Decembris* 1703., & per Clementem XI. Summum Pont. *die* 12. *Januarii* 1704. confirmatorum (de quibus vide cap. VII.) non ſunt Eccleſiæ acceſſoriæ; quod Eccleſiæ Confraternitatum, aut Oratoria publica, vel privata, ſed Parochiali non adnexa, licet intra Pareciæ fines conſtituta ſint, eidem non eſſe acceſſoria diſerte declarantur; quod revera Parochus dumtaxat Eccleſiarum Parochiali adnexarum, eidemque acceſſoriarum vere dici poteſt Rector, non autem ceterarum intra Paræciæ fines conſtitutarum, quæ ſemper habent aliquem, cujus curæ ſunt ipſæ commiſſæ. Ita Cavalieri. Quinimo in Brevi Benedicti XIV. fel. rec. *anni* 1757. pertinente ad immunitatem locorum ſacrorum in Ditionibus Italicis ſubjectis Clementiſſimæ MARIÆ THERESIÆ Imp. Reginæ, & afferendo in alio loco opportuniore indicatur *num.* 29. Eccleſias filiales Parochiarum eſſe illas, in quibus exercetur cura animarum; cujus generis aliquæ ſunt in hac Mediolani Diæceſi, ad normam *Num.* 19.

136. Quod ſi Eccleſiæ intra Parochiæ fines conſtitutæ neminem habeant, cujus curæ commiſſæ ſint, Parochus eſt tunc earumdem Cuſtos, & Rector, non quidem poſitive, cum Titulus ſui Beneficii ſiſtat in Parochialem, & adnexas, ſed negative, in quantum quodammodo devolvitur in Parochum, qui univerſalem curam debet habere, quoad ea, quæ intra fines ſuæ Parochiæ ad divinum cultum directe, vel indirecte ſpectant, vel ſpectare queunt, relate tamen ad Paſtoris officium dumtaxat. Quapropter dici non valent præfatæ Eccleſiæ vere ejuſdem Parochi propriæ; atque hæ, ex memoratis Decretis, nullatenus in ſuis functionibus a Parochis dependent, & *filiales* dicuntur ſolum, quia ſunt intra Parochiam, & non ſunt matrices. Ita Cavalieri.

137. Præterea Laurentius Vigilius de Nicollis in *Praxi Canonica edit.* 1729. *Tom.* 2. §. 3. *Quæ Parocho competant, vel non*, quærit, an in Eccleſia ſimplici, ut certe eſt Oratorium publicum, intra fines Parochiæ ſita ſolus Parochus valeat Miſſas celebrare in diebus ſolemnibus, & funeralibus, ibique pacem populo dare; & reſpondet *num.* 83. *pag.* 206. cum negatione, *quia*, inquit, *ut dictum eſt, Eccleſiæ licet ſitæ intra*

fines

ſines Eccleſiæ Parochialis ſubjectæ ſint quoad jura Parochialia (quia ab illis Eccleſiis talia jura invadi, aut uſurpari non poſſunt) *nulla tamen Eccleſia de Jure fundat intentionem ſuam ſuper ſubjectione alterius Eccleſiæ exſiſtentis intra limites ſuæ Parochiæ , ut per Rotam cor. Coccin. d. deciſ.* 2089. *ita ut ad Rectorem Eccleſiæ inferioris functiones in quæſtione poſitas peragere ſpectet* . Præmiſerat autem *n.* 82. omnes Eccleſias ſitas intra limites ſuæ Parochiæ eſſe ſubjectas Parocho *quo ad Jura Parochialia, prout eſt adminiſtratio Sacramentorum* , ut per Rotam cor. Coccin. *deciſ.* 2089., quæ Jura Parochialia lædi numquam licet; ideoque nec ulli umquam ea exercere permittitur in quibuſcumque Eccleſiis cum præjudicio Parochi, qui & impedire poteſt, ne ea in ulla Eccleſia exerceantur .

Quæ demonſtravi ad excludendum Parochum a celebratione Miſſæ , & obeundis quibuſvis functionibus in Oratoriis Juris patronatus , locum relinquunt legitimæ conſuetudini , pactis , ſeu conventionibus, & Conſtitutionibus Synodalibus Diæceſium oppoſitis, ſi ſorte extent, juxta dicenda ad calcem Capitis proximi .

CAP. IX.

Nonnulla alia Decreta exponuntur.

138. BArtholomæus Gavantus ex meo Ordine Sacrorum Rituum peritiſſimus in Enchiridio, ſeu Manuali Epiſcoporum *verb. Parochorum munera num.* 21. *pag.* 278. *edit. Pariſienſ.* affert Decretum quoddam Congregationis Rit. 18. *Maji* 1602. quo definitur , *ad Parochum pertinere functiones Sacerdotales in Eccleſiis , quæ ſub Laicorum ſunt gubernio , non ad Capellanos , neque ad Sacriſtam* ; *nempe Benedictiones Cinerum , Candelarum , Ramorum , Fontis Baptiſmalis , delationes Sanctiſſimi Sacramenti , celebrationes Miſſarum in Fer. V. Cœnæ Domini , aſperſiones domorum , & quæ in Eccleſia fiunt die Dominico , Orationes* 40. *horarum , & ſimiles* . Poterit igitur Parochus in Oratoriis Juris patronatus , quæ utique *ſub Laicorum gubernio* eſſe ſolent, ſine Patronorum conſenſu prædictas functiones peragere, & Miſſam quoque ſolemnem celebrare ?

139. Verum prorſus nihil adverſus hactenus demonſtrata infertur

tur ex præmemorato Decreto ; quia recenſitæ functiones nec fieri ſolent in Oratoriis Juris patronatus ; nec Patroni in iis ſolent eas facere vel per Parochum, vel per alios Sacerdotes ; nec Decretum officit ullo pacto publicis Oratoriis Patronorum ; quum loquatur de ſolis Oratoriis, quæ gubernantur a Laicis, ſeu a Confraternitatibus Laicorum, qui jus ſibi quondam eſſe putabant, ut per Capellanos, vel Sacriſtas ſuos darent operam enumeratis functionibus obeundis in ſuis Oratoriis (de quibus egimus Cap. VII.)

140. Etenim hoc pacto, de Confratrum ſcilicet Oratoriis (non de Oratoriis Juris patronatus) illud Decretum intelligit Pignatellus *Tom. 6. Conſult. 68. pag.* 137. ubi aſſerit, quod quamvis *quilibet Sacerdos habeat ad ſolemnes functiones poteſtatem ordinis, caret tamen poteſtate juriſdictionis, niſi eam accipiat ab Epiſcopo, vel a Parocho, vel niſi ſaltem ei competat ex legitima conſuetudine præſcripta, vel ex privilegio. Alioquin in eadem Eccleſia duo eſſent capita, quod eſt monſtruoſum, ut de Capella Lauretana dixit Rota deciſ. 686. num.* 13., *&* 14. *eſtque conſtans Sacr. Rituum Congregationis ſententia, ut in Neapolitana* 18. *Maii* 1602. *etiamſi Eccleſia Parochialis ſit ſub gubernio Confratrum. Anno* 1632. eadem Congregatio *in Aſculana* dixit, Confraternitates Laicorum non poſſe tenere Sanctiſſimum Sacramentum in ſuis Eccleſiis, niſi ex cauſſa, & de licentia Ordinarii ; atque *in Theleſina* ejuſdem anni, Capellanos in Eccleſiis Laicorum, ſeu Oratoriis Confratrum non poſſe Benedictiones facere Candelarum, Cinerum, Palmarum, & Ciborum Paſchalium ; ſed hæc omnia peragi debere per Curatos in ſuis Parochialibus. Pittonus *pag.* 158. Quidquid ſit de his Decretis, ac deciſionibus, ſtandum omnino eſt poſterioribus Decretis S. Rit. Congreg. *anni* 1703., & confirmatis a Summo Pontifice Clemente XI., de quibus in Cap. VII. loquebamur.

141. Pignatellus *eadem Conſultatione* diſquirit, an Parochus poſſit peragere functiones Sacerdotales, & ſolemnes tam in Capellis, aut Eccleſiis, vel Oratoriis Confratrum ſitis intra limites ſuæ Parochiæ, quam in ſitis in propria Eccleſia. Affirmative reſpondet ; præciſa tamen legitima conſuetudine, vel privilegio Apoſtolico ; quæ exceptio caute apponitur ; quia ſive per privilegium Apoſtolicum, ſive per conſuetudi-

 nem

nem fundatam in Jure (qualis eſt conſuetudo Patronorum quoad ſua Oratoria publica) excluditur Parochus a prætenſo Jure ſuper Oratoria. Ad ſuam affirmantem reſponſionem comprobandam ita diſſerit : *Eccleſia Parochialis habet intentionem fundatam ex Jure communi ſuper omnibus Eccleſiis, & Oratoriis ſitis intra Parochiam, ut colligitur ex Concilio Cabilonenſi, relato in cap. Eccleſiæ 16. quæſt. 1. (num. 43. pag. mihi 673.) & ex Concilio Vormacienſi in c. quicunque eadem cauſa, & quæſt. (num. 44. pag. eadem) atque ex cap. Ad audientiam 3. de Eccleſ. ædif., & tradunt Canoniſtæ ad hæc loca, & in Cap. Paſtoralis de iis, quæ fiunt, & in rubr. de Paroch. quibus adhæret Rota deciſ. 1120. coram Seraph.* Subdit immediate Pignatellus : *Id, quod de Capellis, & Oratoriis ſitis intra Eccleſiam Parochialem eſt omnino certum, ne contentum ſit diverſum a continente ad textum in l. Eum, qui ædes ff. de uſucap.* De Capellis vero, Oratoriiſque ſitis extra Eccleſiam Parochialem cenſetur omnino falſum.

142. Itaque Pignatellus ex Canonibus, lociſque adductis (quorum tamen de ſenſu nonnihil forte dubitare liceret) putat ſuadere, non licere aliis, prætermiſſo Parocho, peragere functiones Parochiales in Capellis, Oratoriiſve ſitis *intra Eccleſiam Parochialem* ; id enim ibidem indubie munus Curati eſt ; ideoque immediate ſubdit ; *Regula eſt, quod diſpoſitum de Eccleſia intelligatur, & habeat locum in omnibus Capellis per textum in cap. Si Civitas verſ. ratione quoque, de ſent. excommun. in 6., & cap. unic. de conſecr. Eccleſ. vel alt. difficileque creditur, quod ſine privilegio, vel legitima conſuetudine Capella, vel Oratorium intra Parochialem Eccleſiam ſitum, Parocho, vel Prælato illius non ſit ſubjectum, licet non ſit impoſſibile, ut conſideratur per Rotam deciſ. 686. num. 2., & 3. p. 4., & deciſ. 697. num. 2. tom. 3. recent. Cumque Parochus in ſua Eccleſia Parochiali ſit Prælatus, argum. cap. in apibus quæſt. 1. Abb. in cap. decernimus num. 16. de judic. ubi Dec. num. 34. debet præcedere omnes in functionibus ſolemnibus, Chaſſan. in catal. glor. mund. p. 4. conſid. 81. Rota deciſ. 204. num. 17. coram Pegna, Gonzal. ad Regul. 8. Cancel. gloſ. 6. num. 104.* Quum hæc igitur congerat Pignatellus ad vindicandum Parochis Jus obeundi ſolemnes functiones in Capellis, Oratoriiſve ſitis intra Eccleſiæ Parochialis parietes, aut iiſdem unitis, nequeunt transferri ad Oratoria Juris patronatus, ſita quidem in Parochia, ſed non Eccleſiæ Parochiali conjuncta, aut in eadem exiſtentia.

143.

143. Itaque cum in his poſtremis Oratoriis nequeat Parochus, ex probatis ſuo loco, celebrare Miſſam, ſine Patroni facultate; nec poteſt in iis Miſſam canere, aut ullo umquam tempore celebrare, niſi a Patrono poteſtatem impetraverit; quam facultatem, quam poteſtatem Patronus etiam ſine cauſſa Parocho denegare poteſt, ac denegare præterea utramque expediet certe quandoque; quia aliter ſolent Parochi conari extendere fines ſuos, & incipere actus poſſeſſionis, etiam modico, & apparenti dumtaxat cum fundamento; & inde quæſtionibus, prætenſionibus, litibus perturbare legitimos Patronos: quod non licet Rectoribus, quia ex Amoſtazo *Lib. 5. cap. 7. n. 56. pag. mihi 64.* Rectores non debent ullo modo turbare poſſeſſores Capellarum, ſive Oratoriorum; ubi & alii in eamdem ſententiam citantur Auctores ab eodem Scriptore.

144. Patroni inſuper poſſunt per quemcumque Sacerdotem ſicut celebrare, ita canere, etiam ſolemniter, Miſſam in ſuis Oratoriis, abſque Parochorum licentia; nec Parochis competit Jus, ut ante ceteros invitentur a Patronis ad ſolemniter celebrandum, Miſſamve canendam; quum ſolemnis celebratio, aut cantus Miſſæ non accenſeatur Parochialibus functionibus, prout his recenſitis, ex communi Doctorum ſuffragio, ſuperius cautum voluimus. Nec in hac re contrarium ullum inveni Decretum, aut deciſionem, ſicut inveni apud Pittonum *num.* 1668. de Confraternitatibus Laicorum legitime erectis in Eccleſiis Parochialibus; nam illæ certe dependent a Parocho in explendis functionibus Eccleſiaſticis non Parochialibus: & erectæ etiam in Capellis, vel Oratoriis tum publicis, tum privatis, adnexis Parochialibus Eccleſiis, & ab eis dependentibus habent dictam dependentiam a Parocho, quo ad dictas functiones, ex Congregat. Rit. in Decreto Urbis, & Orbis, de quo in Cap. VII.

145. Animadvertendum hic quoque videtur, nullo jure licere Parocho Proceſſionem populi facere cum termino, vel mora, vel viſitatione ad Oratorium Juris patronatus, non obtenta Patroni licentia; cum Proceſſio ad Parochialia munia pertineat, quæ nequit obire Parochus in hujuſmodi Oratoriis, ſine præmiſſa Patronorum facultate. Hinc prudens Femina honeſtiſſima narrabat mihi, non ſine ingentibus que-

 relis,

relis, Parochum delegiſſe, ſe inſcia, & abſente, Oratorium ſuum in Villa erectum, ut una cum reliquis Eccleſiis viſitaretur a populo lucrandi Jubilæi cauſſa, cum *anno* 1751. publicatum fuiſſet. Neque, niſi juſtiſſimas probavimus Feminæ querelas contra Parochum, & hujus auſum; cum ſicut functiones reliquas, ita & Proceſſiones in Oratoriis, & ad Oratoria Juris patronatus facere quomodocumque, non liceat Parocho, abſque ſibi collata a Patronis facultate. Nec qui impedit Proceſſiones relate ad proprium Oratorium, lædit jus alienum, & Parochi, ſed defendit jus ſuum.

146. Pignatellus in antedicta *Conſult.* 68. refert reſolutionem Sacræ Rituum Congregationis, qua prohibetur quibuſdam Confratribus Civitatis Cæſarauguſtanæ explere, *quæ ad ſolum Parochum pertinent, ut Miſſas cum cantu ſolemniter celebrare, Confeſſiones audire, communicare, ſepelire mortuos, prædicare, Sacramenta miniſtrare, in die Cœnæ Domini ſepulchrum facere, Sanctiſſimum Sacramentum aſſervare, & alia hujuſmodi exercere, ſine expreſſa licentia Ordinarii, & Parochi, quæ ex diſpoſitione Juris ad ſolum, & proprium Parochum ſpectant*: quæ deciſio prodiit die 14. *Januarii* 1612. teſte Monacello *p.* 2. *tit.* 13. *pag.* 23. *edit. an.* 1751., qui fruſtra infert ex ea, & ex aliis declarationibus Congreg. Concilii, ſolemniter celebrare Parocho convenire; nam & illa deciſio magis vetuſta, & iſtæ declarationes utpote annorum 1690. 1691. 1692. præceſſerunt Decretum Urbis, & Orbis *an.* 1704. confirmatum a Clemente XI. Pontif., in quo contrarium definitur in reſponſione ad X. ut præmiſimus Cap. VII., & alibi.

147. Similes alias Tribunalium, aut Congregationum reſponſiones videre eſt, in quibus patet, non licere Confratribus, eorumque Capellanis prædictas functiones peragere, incluſis etiam Miſſis cum cantu ſolemni. Sed caute advertas, quæſo, improprie dici *functionem Parochialem* hunc ſolemnem Miſſæ cantum, quantumvis ſponte tales Miſſarum cantus pluries relinquantur Parochis in ſua Eccleſia Parochiali. Sane proprie loquendo nec pertinent ad ſpiritualem animarum curam, nec connectuntur cum adminiſtratione Sacramentorum; ideoque nec affines ſunt juribus, vel functionibus Parochialibus; unde nec proprie poſſunt vocari *functiones Parochiales*.

Sed

Sed ſtandum ſemper Decreto Urbis, & Orbis allato Cap. VII.

148. Præterea cum excludebatur ſolemnis Miſſarum celebratio in Oratoriis Confratrum, prudenter a Tribunalibus, & Congregationibus id fiebat; quia ea celebratio ſolebat paulatim alias vere *Parochiales functiones* ſecum attrahere, ſeu iis viam pandere, & inde anſam præbere ad lædenda munia ſolius Parochi propria; ac deinde, quia Confratrum Eccleſiæ non habent ut plurimum adnexum Jus patronatus, quo cum afficiantur Oratoria publica privatæ alicujus familiæ, merito ſibi vindicant eorumdem Patroni, ut Miſſas & privatas, & ſolemnes, & per quoſcunque Sacerdotes, & quot voluerint, celebrent, ſecluſo aſſenſu Parochi. Hæc trado, inſpecto Decreto toties memorato *anni* 1703. Urbis, & Orbis; cum & præfatus Pignatellus *num.* 5. ſcribat, quoad Eccleſias, ſive Oratoria ſita intra limites Parochiales, tradere Rotam, Eccleſiam Parochialem nullum Jus ſuper illis habere, ut *deciſ.* 552. *ex num.* 3. *par.* 5. *recent. tom.* 2. & Tondut. *quæſt. civil. cap.* 53. *num.* 35., *& ſeqq.*, quamvis addat Pignatellus, contrarium verius, ac Juri congruentius eſſe, atque a Sacris Congregationibus receptum; *accedente præſertim antiquiſſima quaſi poſſeſſione Parochi exercendi ejuſmodi functiones in iis Eccleſiis, ſive Oratoriis, quæ vel habet vim præſcriptionis, Rota apud Seraph. deciſ.* 2410. *num.* 26. *cum aliis per Burat. deciſ.* 404. *n.* 12. *Vel ſaltem tamquam interpretativa excludere debet functiones ſolemnes &c.* Quæ dum ſcripſit Pignatellus, nondum prodierat, nondum notum illi erat Decretum præfatum Urbis, & Orbis; aliter enim ſcripſiſſet.

Verum hinc novum petitur ſolidum argumentum circa Oratoria Juris patronatus. Si enim & ſolemnis Miſſa, & aliæ functiones fieri poſſunt in Eccleſiis, ac Oratoriis ceteris ſitis intra limites Paræciæ, judice ipſa Rota Romana, cum ſit Eccleſia Parochialis omni jure ſuper illis Oratoriis deſtituta; quanto magis eædem functiones fieri poterunt in Oratoriis Juris patronatus, nulla intercedente facultate Parochi? nam ſine dubio majori jure potiuntur Patroni circa Oratoria ſua publica, quam Confratres, aut alii circa ſuas Eccleſias. Attamen ob alibi congeſtas rationes firmis innixas veritatis, Juriumque principiis, nego, poſſe Patronos explere ſuis in Oratoriis Parochiales functiones: At ſolemnes Miſſas & celebrare, & canere in iiſdem poſſe, ſecluſo Parochi aſ-

aſſenſu, non plane Patronis denegari poteſt; idemque ſane quo ad ſolemnes Veſperas, ſimiliaque alia dicendum; cum ex alibi probatis, Oratoria Juris patronatus non dependeant ab Eccleſia Parochiali.

149. Optime argumentatur Jacobus Pignatellus *tom. 6. Conſult. 12. num.* 24. quoniam ſicuti ex quo Tridentina Synodus *Seſs.* 22. prohibet, ne Epiſcopi permittant, ut celebretur in locis extra Eccleſiam, & extra Oratoria ad divinum tantum cultum dedicata; permittit quoque, hoc fieri in Eccleſia, & in Oratoriis publicis, a contrario ſenſu, ut ex regula *Cap. Nonne de præſumpt. & L. cum Prætor ff. de judic*: Prohibitum enim in uno caſu, in alio cenſetur permiſſum, *L. cum lex, ibique Gloſs. ff. de legib.* ita non diſſimili præclara ratione inferre poſſumus, quod ſicuti ex quo permittuntur Patronis Oratoria publica, dummodo non violentur Jura Parochialia, functiones Parochiales non licet Patronis explere in iiſdem Oratoriis; permittuntur eodem modo omnia, quæ non ſunt Parochialibus juribus commixta. Sed Miſſæ ſolemnis cantus, aut ſolemnes Veſperæ, & ſimilia non ſunt commixta ullo modo juribus Parochialibus, ſed ab iis longe differunt. Licent ergo Patronis abſque conſenſu Parochi, in cujus Paræciæ limitibus Oratoria illa publica reperiuntur; quia, ex memorata a Pignatello regula, *prohibitum in uno caſu* (læſionis jurium Parochialium) *in alio caſu* (nullius læſionis jurium Parochialium) *cenſetur permiſſum*. Hæc ex ſuperioribus ſunt perſpicua; perſpicuumque eſt agi poſſe, ſine Parochi licentia, Feſtum S. Titularis Oratorii, & quodlibet aliud. Recole ſuperiora Capita.

Quod circa Confraternitates animadvertitur in laudato toties Decreto *anni* 1703. id & ego circa patronalia Oratoria animadverto, prædictis nempe doctrinis, & juribus inſiſtendum eſſe, *ſalvis tamen conventionibus, & pactis in erectione Confraternitatum* (vel Oratoriorum Juris patronatus) *forſan factis, concordiis inter Partes initis, & a Sancta Sede approbatis, Indultis, Conſtitutionibus Synodalibus, ac Provincialibus, conſuetudinibus immemorabilibus, vel ſaltem centenariis.*

Collige ex his omnibus, quod ſi dubitetur, quænam ſint functiones Parochiales, & quæ mere Sacerdotales, inſpiciendum eſt Decretum *anni* 1703. ſæpe prænarratum, ubi id, quod dicitur, non eſſe Parochiale, intelligitur eſſe Sacerdotale, & conſequenter tale, ut peragi queat

etiam

etiam a Rectoribus aliarum Eccleſiarum, & a Capellanis Confraternitatum aliarum Eccleſiarum, licet ſitarum intra limites Paræciæ, ut ex deciſione Rotæ 988. coram Lancetta *n.* 13. *Quales vero, & quot ſint iſtæ functiones, quæ Parochiales dici non debent, ſed Sacerdotales, Domini non exiſtimarunt ſingulariter explicare, cum ſatis illæ pateant ex prædictis generalibus Decretis Sacræ Congregationis Rituum Urbis, & Orbis anni* 1703. *a Sanctiſſimo approbatis*. Unde Rota *in eadem deciſione n.* 10. dixit, hæc Decreta obſervanda eſſe inſtar Legum firmatarum in Tribunalibus: *Hujuſmodi vero Decreta a Sanctiſs. Domino noſtro ſubinde confirmata tamquam Leges in quocumque Tribunali recepta jam ſunt, & præſertim in hoc noſtro*. Apud Lambertinum *Notif.* 17. *vol* 5. *pag. mihi* 255.

CAP. X.

De Oratoriorum dote, & oblationibus.

150. GRatianus ſub Synodi Aurelianenſis nomine profert *Canone* 9. 3. *p. diſt.* 1. Decretum, quod vetat, ne quis Eccleſiam ædificet, *antequam Epiſcopus Civitatis veniat, & ibidem Crucem figat, publice atrium deſignet, & ante præfiniat, quæ ædificare vult, quæ ad luminaria, & ad cuſtodiam, & ad ſtipendia Cuſtodum ſufficiant, & oſtenſa donatione, ſic demum ædificet, & poſtquam conſecrata fuerit, atrium ejuſdem Eccleſiæ ſancta aqua conſpergat*. Ita *pag. mihi* 1150. Hoc Decretum in Synodo Aurelianenſi non legitur, teſte Vaneſpenio in obſervationibus ad 3. *partem Gratiani pag. mihi* 322. quamquam iiſdem prope verbis legatur *lib.* 5. *Capitularium cap.* 382. niſi quod omittuntur illa, *atrium deſignet*, & loco illorum verborum, *oſtenſa donatione*, reperitur, *facta donatione*. Adjecit inſuper Gratianus clauſulam illam, cujus in Capitularibus non eſt mentio, *& poſtquam conſecrata fuerit, atrium ejuſdem Eccleſiæ ſancta aqua conſpergat*, quæ inveniuntur penes Burchardum, & Ivonem; ut admodum veriſimile ſit, eſſe ex his potius, quam e Capitularibus deſumptum; & clauſulam de conſperſione *aquæ ſanctæ* recentiori manu, juxta ritum recentioris ævi, additam fuiſſe Gratianus profecto in eo Canone loquitur de Eccleſiis per Epiſcopalem conſecrationem Deo, Deique cultui dicatis, quæ dum conſtruuntur, ſufficiens eis dos debet aſſignari.

151. De Epiſcopali pariter conſecratione loquitur *Canon.* 8. *Cum ſicut de conſecrat. Eccle. tit.* 4. *lib.* 3. *pag.* 511. *Cum ſicut ex relatione Capituli Oradien. nobis innotuit, eorum feceris Eccleſiam conſecrari: Cum non ſit Eccleſia, niſi de dote proviſum ei fuerit, conſecranda, eo liberalius ad dotandum prædictam Eccleſiam aperire manus munificentiæ tuæ debes, quo ad hoc fortius tamquam ex debito jam teneris.* Ergo Eccleſiis, quæ per Diæceſim propriam conſecrantur ab Epiſcopis, dos, aut redditus temporales aſſignari debent; quia fundationem, & conſecrationem Eccleſiæ conſequitur *manutentio*, velut quidpiam naturaliter connexum, & *ideo qui vult primum, tacite ſe obligat ad ſecundum*, ut advertit Pignatellus *Tom.* 1. *Conſult.* 93. *num.* 14. *pag. mihi* 97. quemadmodum pater carnalis obligatur ad dotem competentem filiæ dandam *L. final. Cod. de Dot. promiſs.*, nam qui fecit Eccleſiam, vel Capellam conſtrui, quodammodo cenſetur pater, cum deduxerit eam de non eſſe ad eſſe, ait Cavalcanus *p.* 2. *deciſ.* 17. *n.* 67. *pag. mihi* 382.

152. Idem Pignatellus *ibidem num.* 24. obſervat hoc etiam indicio diſcerni a privato publicum Oratorium, *ſi hoc habeat dotem, aut redditus temporales, Abb. in cap. fin. de cenſ. n.* 3. *Quod confirmat Decian. cit. cap.* 25. *n.* 19. *ibi: Si nulla foret ei dos conſtituta, licet hoc non uti neceſſarium obſervetur, Villagut. de immun. n.* 28. *quem refert, ac ſequitur Sanfel. d. dec.* 219. *n.* 3. *Unde Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium in una Raguſina die* 11. *Auguſti* 1597. *& in una Siracuſana die* 1. *Julii* 1623. *cenſuit, non eſſe neceſſarium, quod Oratorium publicum ſit dotatum, & multo minus privatum; quia dos non exigitur, niſi in conſecratione.* Id, quod habetur in *C. Cum ſicut* 8. *de conſecr. Eccleſiæ, vel Altaris.*

153. Aliquando illimitata fiebat facultas, & ſine exceptione perſonarum, erigendi domeſtica Oratoria, & conſecrandi per Epiſcopos; ſed unice requirebatur, ut quicumque ea habere voluiſſent intra proprias ædes, ea de ſufficienti dote providerent, & ab Epiſcopo poteſtatem obtinerent Miſſam celebrandi in iiſdem, juxta Capitularia Caroli Aquiſgrani conſtituta *num.* 15. penes Harduinum *Tom.* 4. *Conc. p.* 954. cum hac lege, *ut qui Oratorium conſecratum habet, vel habere voluerit, per conſilium Epiſcopi de ſuis propriis rebus largiatur.*

154. Ex Pignatello itaque, & ex collectis ab ipſo Doctoribus,

ac

ac deciſionibus Sacræ Congregationis apertiſſime patet, dotem neceſſario exigi pro Eccleſia conſecrata, non pro publico Oratorio tantum benedicto. Utrumque ſapientiſſime cautum eſt; ac primum quidem, quia per conſecrationem ita ſanctificatur Eccleſia, ut ſpecialiori modo addicatur ad honorem Dei, ejuſque cultum, ac proinde dignior etiam evadat veneratione, ac reverentia: ideoque de congrua dote provideri debet, ut quæ ad ipſam pertinent, ejuſque ſacrum decorem, ac Miniſtrorum ei deſervientium ſtipendia, rite, & ut oportet, comparentur, & in promptu habeantur. Sane dotationum monumenta non pauca leguntur apud Cl. Muratorium in *Antiquitatibus Italicis*.

155. Alterum quoque, nec minus ſapienter, cautum eſt: ſcilicet neceſſariam minime eſſe aſſignationem dotis pro publico Oratorio non conſecrato; nam qui illud ædificari curant, ac præſertim ſi ſibi Jus patronatus reſervent, primo de omnibus ad celebrandum, ac ſufficienter ornandum Oratorium, illi provident; deinde quod opus eſt circa illud, ejuſque decentiam, ſucceſſive procurant, & parant. Quod ſi quis eſt Oratorii Patronus, diligenter niti debet, ne quid eorum deſit, quæ domui Dei, in qua venerabile Miſſæ Sacrificium celebratur, conveniunt. Hinc quoque intelligitur, ſufficere etiam pro Oratorii dote, ut Fundator obligationem ſibi imponat ſingula ſuppeditandi, quæ pro publico Oratorio, ac celebratione Sacri in eo facienda requiruntur.

In Eccleſiis conſecratis, & in Oratoriis, ſi hæc fundentur cum titulo Beneficii, requiritur dos; ſecus non; ſed ſolum requiritur congrua obligatio ſubventionis pro paramentis, & pro oneribus Miſſarum manualium, aut alio onere injuncto, quæque ſubventio non dicitur dos, quia non eſt perpetua in patrimonium ſacrum adſcita, ſed temporalis, durante permiſſione Epiſcopi; quia poſſunt deſtrui talia Oratoria non conſecrata, & denegari ab Epiſcopo celebratio. Ita probat Card. Vincentius Petra *to.* 1. *Comment. ad Conſtit. Apoſtolic. n.* 95. *pag.* 224. &c. nam dos ideo requiritur a Juribus, ut locus Deo ſpecialiſsime ac ſolemniſsime per conſecrationem dicatus, perpetuo firmus remaneat dotis conſtitutione. Immo infert idem perdoctus Cardinalis *num.* 94. quod licet eadem Oratoria publica viſitentur ab Epiſcopo, procuratio tamen non exigitur; quæ exigitur tamen ab iis, quæ habent dotem, Eccleſiis; nam ex dote procuratio debet dari.

156. Melius itaque dotis prærogativa congruit Eccleſiæ, ſeu Oratorio conſecrato, quam mere benedicto; nam dotatio *non exigitur, niſi in conſecratione* (ſunt verba Franciſci Monacelli *Tom.* 1. *Formul. tit.* 6. *pag. mihi* 206.) *ex cap. Piæ mentis* 16. *quæſt.* 7. *& pluries declaravit Sacra Congregatio Epiſcoporum, cujus decreta refert Nicolius Lucubr. Canon. Lib.* 5. *tit.* 33. *num.* 7. *limit.* 4. *& tenuit nuper Sacra Congregatio Concilii in nullius Galeatæ* 27. *Novemb.* 1694. *ideoque in licentia pro ædificatione Eccleſiæ, quæ inſervit pro commoditate audiendi Miſſam, ſufficit, quod fiat obligatio omnium bonorum conſtruentis pro illius manutentione*; ut paulo ante præmonui.

157. Franciſcus a Moſtazo de Cauſis piis *Tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 7. *n.* 14. diſparitate aſſignata privata inter, ac publica Oratoria, iſtis, non illis, dotem aſſignari oportere, probat: antea tamen *Num.* 12. ita ſcripſerat: *Oratoriis, vel Capellis an dos ſit concedenda, aliquod eſt dubium, quia aliqui abnegarunt*; *nam Jura loquentia de dotandis Eccleſiis, non de Oratoriis, & Capellis loquuntur, ſed tantum de Eccleſiis, quæ principaliori modo* (per conſecrationem) *ad cultum, & adminiſtrationem Sacramentorum conſtruuntur. Ergo Oratoria, ſeu Capellæ dotandæ non ſunt. Et ratione confirmatur, nam licet iſta deficiant, quia parum ſunt neceſſaria, nihil intereſt: Ergo dotanda non ſunt. Rochus de Jur. patronat. verbo conſtruxit num.* 6. *Urrutigoyti de Eccleſia Catholic. c.* 16. *n.* 47.

158. Exigebant Leges olim in fundationibus Oratoriorum privatorum propriæ, ac ſufficientis dotis aſſignationem in hunc maxime finem, prout aliqui putant, ne Parochi propriis proventibus carere cogerentur, aut deſtituerentur Eccleſiæ Parochiales iis, quæ ad earum nitorem, ac ornatum comparandum ſunt neceſſaria: cujus rei nullum eſt hac ætate periculum, cum & Decimæ, & alia certo præfixa ſint, ut Parochi, & Eccleſia ſuſtententur, ac ejus Miniſtri; nec eis ob Oratoria aliquid demitur.

159. In Diæceſi Mediolanenſi non ſolet a privatis Fundatoribus erectum Oratorium benedicendi dari facultas, niſi prius ipſi ſtatuant redditus pro *manutentione* Oratorii, addita ultro a Patronis obligatione celebrationis aliquot Miſſarum quolibet anno in eodem Oratorio faciendæ. Inſtrumenta nonnulla perlegi, in quibus & fundi in

do-

dotem Oratoriorum aſſignatio, & celebrandi duodecim Miſſas in annos ſingulos obligatio exprimitur, ſimul cum dotis adminiſtratione Fundatori, ſeu Jus patronatus habenti relicta.

160. Monacellus loco laudato *n.* 5. obſervat, apponi in licentia pro ædificanda Eccleſia, ſeu Oratorio publico obligationem *celebrare faciendi ſaltem tres Miſſas in die Sancti Titularis* annuatim. Inconveniens enim eſſet, inquit, quod in Eccleſia de conſenſu Epiſcopi erecta non celebraretur Miſſa de obligatione, cum celebrationis cauſſa ibidem erigantur Altaria; quia ſi tantum devotioni hæredum Fundatoris relinquenda eſſet celebratio, hæc facile omitteretur, *ut paſſim demonſtrat experientia, & Eccleſia derelicta remaneret, & eſſet deſtruenda, juxta monitum Cap. Si quis Baſilicam, Cap. Eccleſiæ, & per tot. diſt.* 1. *de conſecr.*

161. In Supplemento poſtumo ad Monacelli ejuſdem Formularium legale practicum fori Eccleſiaſtici *pag.* 142. *num.* 163. habetur, debere eſſe Eccleſiam decenter conſtructam, ornatam, & competenter dotatam, ut conſecretur; alias ſine dote conſecrari non debere, ſed tantum benedici, ut in ea Miſſæ celebrari valeant, ex Sacra Congreg. Epiſcop. apud Nicolium *Lucubr. Canon. Lib.* 3. *tit.* 40. *n.* 2. *Cap. Cum ſicuti de conſecr. Eccleſ.* Sufficere, ut dos in ea quantitate ſubſiſtat, quæ poſſit ſatis eſſe pro manutentione Oratori publici, & Sacrarum Supellectilium, habetur ex eodem *Supplem. Monacell. deciſ.* 21. *pag.* 269.

162. Gibertus *tom.* 2. *tit.* 15. *q.* 4. *pag.* 537. affirmat, nullam eſſe legem auctoritatis univerſalis, quæ ordinet, aut prohibeat conſecrationem Oratoriorum publicorum, niſi confundatur conſecratio cum benedictione; aitque ſe hunc caſum excipere, quippe ſemper fuit vetitum, ne Miſſa celebraretur in locis Domino non dicatis aliqua particulari cæremonia, quæ vocatur *benedictio*; cum ſit abſque unctione, & conſecratione, cum adjungitur eidem unctio, quod nomen poteſt etiam imponi cæremoniæ, quæ vocatur *benedictio*, quia applicat, & dicat loca cultui Domini; & hoc ſignificatur verbo *conſecrare*.

163. *Quoad leges auctoritatis particularis, quibus vetatur conſecratio Oratoriorum publicorum, nullam adhuc inveni, & nullam factam eſſe veriſimile eſt, quia nullum eſt incommodum, ſi conſecrentur Oratoria publica;*

 &

& ut res habeatur, quo ſe habet, modo. Eccleſiæ Religioſorum, quarum multæ ſunt conſecratæ, ſunt tantum ſimplicia Oratoria publica; cum nomen Eccleſiarum proprie ſolum pertineat ad Eccleſias Cathedrales, & ad Parochiales. Hæc ibidem Petrus Gibertus.

164. Qua ætate fuerit inducta diſtinctio Benedictionis a Conſecratione, nondum mihi indubitanter liquet. At illud plane haud inficior, ſapientiſſime diſtinctionem eandem fuiſſe admiſſam poſt Eccleſiarum numerum tantopere auctum; nam cum graviſſimum eſſet procul dubio locorum Ordinariis, ſi omnes ædes ſacras in propriis Diæceſibus conſecrarent; quippe id juris, ac muneris Leges ſolis Epiſcopis ſua in Diæceſi adſcribunt; nec Conſecratio, cum ſit actus, & officium ordinis, inferiori Sacerdoti delegari poteſt; cum tamen Benedictio utpote ſpectans ad juriſdictionem, alteri cuique Sacerdoti delegari queat; cumque etiam per ſolam Benedictionem vetuſtus, & Apoſtolicus ritus conſecrandi, ſeu Deo dicandi certis precum formulis, ac ſacris cæremoniis loca perpetuo addicta celebrationi Sacrificii, adhuc ſervari videatur, quamvis non fiat Conſecratio; hinc Oratoria publica benedici ſolent, non conſecrari: hacque ratione majores a minoribus Eccleſiis diſcrepant, dum pro prioribus deſideratur Epiſcopalis Conſecratio; & aliis, ut ſunt Oratoria, ſufficit Benedictio, prævia ab Epiſcopo impetrata facultate: quamquam etiam Oratoria publica conſecrari ab Epiſcopo poſſe, non dubitetur.

165. Neque dubitatur, quoad effectum perenniter dedicandi Oratorium divino tantum cultui, idem operari Epiſcopum per Conſecrationem, ac Sacerdotem de licentia Epiſcopi per Benedictionem; quippe etiam per hanc remanent devota Deo Oratoria, ut non amplius, niſi de conſenſu Epiſcopi, queant converti in uſus profanos, quem conſenſum ex juſta cauſſa præbere poſſunt Epiſcopi, eo quod non fuerint Oratoria ſolemniter conſecrata, cum ſplendidoque Sacrarum Cæremoniarum apparatu, & ritibus ſpecialibus, quibus conſecratio Eccleſiarum facienda præſcribitur in veteribus, recentioribuſque Sacramentariis, ac Pontificalibus Libris.

166. Oblationes, ut ad alteram tituli partem convertamus ſermonem, oblationes quoque a fidelibus factæ Oratorio Juris patronatus,

vel

vel alteri cuicunque Oratorio, in ejus *manutentione*, comparandiſque ejuſdem ornamentis, aliiſque neceſſariis rebus inſtruendis inſumi debent a Patrono, vel a Cuſtodibus. Pervetuſta exſtitit in Eccleſia conſuetudo, ut Chriſtifideles ad Miſſarum ſolemnia convenientes, ſinguli ſuam Sacrificii partem offerrent: quo indubie ſignificabatur, & populum concurrere ad incruenti Sacrificii oblationem, & illud ſimul cum Sacerdote offerre. Qua ætate deſierit oblatio panis, & vini in Miſſa, haud decerno. Certe Honorii Auguſtodunenſis ætate, nempe ſeculo XII., loco panis, ſive farinæ jam offerebantur denarii, quem ipſe morem acceptum refert rariori fidelium Communioni. Antiquiſſima Liturgia Æthiopum, de qua Honoratus a S. Maria in *Animadverſ. in regulas, & uſum Critices to. 2. lib. 4. art. 6.* duo memorat oblationum genera; nam aliæ fiebant ante Offertorium, aliæ dum Offertorium canebatur.

167. Oblationum inſtitutum ab Apoſtolis derivatum, ſed fere abrogatum, Synodus IV. Provinc. Mediolanenſis ſub S. Carolo *p. 2. pag. 165. tit. de Parochiis, & Parochialibus jurib., & officiis*, reſtituendum decrevit, hac optima ratione, *cum præſertim & ad divinum cultum pertineat, & populis ſalutare ſit, ad expiandaque peccata utile*; monetque Epiſcopos, curandum, ut *in ſolemnitatibus Domini, diebuſque Dominicis, ac feſtis item, quos coli, aut præcepti, aut conſuetudinis eſt, omnis Chriſtianus aliquid, prout pro ſua quiſque pietate, devotioneque maluerit, Deo offerre procuret; idque in Eccleſia vel Cathedrali, cum ad Miſſæ Sacrificium, quod ſolemniter celebratur, vel in Parochiali, cum a Parocho, convenerit. Quo gratius autem Deo ſit, quod offerunt, ad id præſtandum accedant fideles intima animi pietate, ſpirituali hilaritate, ſancta charitate, omnique Chriſtianæ* devotionis teſtificatione.

168. Nec vulgaris, & hodiernus uſus loquendi aliud *oblationum* vocabulo deſignat, quam fere illa tantum, quæ ad manum Sacerdotis inter Miſſarum ſolemnia offerri conſueverunt; quamquam negari nequaquam poteſt, eſſe *oblationes*, & quidem a decimis, & primitiis diſtinctas, illa, quæ populus offert poſt Sacramenta adminiſtrata, aut in purificatione Mulierum, aliiſque functionibus Paſtoralibus; aut truncis ad colligendas eleemoſynas expoſitis, aut Matriculariis, ſive Magiſtris Fabricæ circumeuntibus per Eccleſiam, aut alio modo in uſum Eccleſiæ,

aut

aut pauperum, puta, in Eccleſiis ruralibus, in folliculorum bombycinorum, caſei, carnis, ovorum, butyri, uvarum, agnorum, pullorum gallinaceorum, columbarum, aut cujuſcumque edulii ſpecie, ipſis offeruntur: item ea, quæ offeruntur a devotis, & viſitantibus certa Oratoria, vel Sacella, in quibus Imagines miraculoſæ, aut Reliquiæ Sanctorum ſunt, & ibi offeruntur vel in Altari, vel extra illud. Hæc omnia, & ſimilia ex uſu loquendi ſive Sacrorum Canonum, ſive Canoniſtarum *oblationes* vocantur.

169. Sicut vero oblationes, quæ dari conſueverunt præcipue in adminiſtratione Sacramentorum, aut alia functione Paſtorali, liberæ eſſe debent, ut omnis abſit ſimoniæ ſpecies, & turpis quæſtus in illis recipiendis; ita e contra illæ, quæ conſtituunt proventum ſingularum Parochiarum, cedunt Eccleſiæ Parochiali, atque hujus Miniſtris, ex uniformi Canoniſtarum ſententia *in cap.* 9. *tit.* 10. *de his, quæ fiunt a Prælato* &c., & inſuper incompertum non eſt, proventibus Paræciarum connumerari oblationes, qnæ offeruntur intra Paræciæ confinia.

170. Hinc Canoniſtæ docent unanimiter, Parochum utpote primarium Parochialis Eccleſiæ Miniſtrum *de Jure communi* fundatam habere intentionem percipiendi oblationes quaſcumque intra fines ſuæ Paræciæ factas; eaſque Parocho deberi; niſi alteri competant aut ex voluntate offerentium, aut ex immemoriali conſuetudine, aut ex alio legitimo titulo. Sicuti enim communi conſenſu Canoniſtarum receptum eſt, oblationes ſpectato *Jure communi*, & *in dubio*, Parocho deberi; ſiquidem Parocho debetur compenſatio oneris, quod ſuſtinet, cum oblationes de Jure eidem competant ratione adminiſtrationis Sacramentorum, ex Rota in *Beneventana* apud Pittonum *Num.* 150. ita quoque pari conſenſu Auctorum receptum eſt, aliis, præciſo Parocho, competere, ac deberi oblationes ex conſuetudine, privilegio, aliove titulo, ac præſertim ex offerentium mente, ac voluntate; prout docet VanEſpen *p.* 2. *tit.* 33. *cap.* 10. *num.* 14. *pag.* 533. qui iccirco caute dixit *tit.* 5. *n.* 15. *cap.* 4. ex hodierna diſciplina fere ubique uſitata, oblatos denarios inter Miſſarum ſolemnia ad altare cedere Sacerdoti, *niſi alio titulo alteri competere oſtendantur*.

171. Hac de cauſſa idem Vaneſpenius eodem *cap.* 10. *num.* 15.

tit.

tit. 33. refert verba Cardinalis de Luca *diſc.* 19. *de decimis*: *Ubi expreſſe, vel etiam adminicularíter, & conjecturaliter conſtat de voluntate facientium oblationes, & eleemoſynas, ut ipſi Eccleſiæ, ſeu certis uſibus applicari debeant, non autem ut ipſe Rector impinguaretur, atque in privatos uſus, privatamque utilitatem convertat*; *tunc abſque dubio illa voluntas ſervari debet*; *eaque cuicunque Juris diſpoſitioni prævalet*. Unde oblationes quæcumque factæ ad Imagines, vel Reliquias alicujus Sancti, ob miracula, vel gratias, quibus quis donatus fuit, vel donari ſperat, cedunt Sacello, ſive Oratorio, in quo Imago, vel Reliquiæ quieſcunt. Quis enim dubitet, populum, pro beneficiis a Deo, ob merita, & interceſſionem Sanctorum acceptis, vel ſperatis, confugientem ad Oratoria, Deo in honorem Sanctorum dicata, & offerentem eleemoſynas, & oblationes, id non agere animo donandi ipſi Oratorio, ut ſumptuoſa Eccleſia conſtruatur, ac dotetur, & exornetur; non autem ad donandum Parocho; vel Epiſcopo, ſeu alteri Prælato, vel ad privatam utilitatem; inquit de Luca laudato loco; vel ad ditandam Eccleſiam Cathedralem, aut Parochialem, aut aliam diverſam, vel ad inſumendum in alios uſus, quamvis pios?

172. Hæc confirmat Franciſcus Monacellus *to.* 1. *tit.* 6. *num.* 20. ſubjicitque *num.* 21. quod Eccleſiæ, ſeu Oratoria publica ſi habeant proprium Rectorem (ut habent reapſe Oratoria præſertim Juris patronatus) oblationum adminiſtratio non ad Parochum, ſed ad Eccleſiæ Rectorem ſpectat. Quæ quidem omnia viva praxi, & conſuetudine hodierna confirmantur. Concordat quoque circa oblationes factas Imagini, vel Capellæ, vel Oratorio intra fines Parœciæ, Hieronymus Caratus in Opuſculo *de Juribus Parochialibus tit.* 3. *cap.* 9., & 10.

173. Sicut igitur quæcunque a populo, ac devotis fidelibus offeruntur Oratorio, cedunt Oratorio, non alteri Eccleſiæ, aut perſonæ; ita eorum omnium, quæ offeruntur, adminiſtratio a ſola pendet voluntate Patronorum Oratorii illius, non Parochi (cui nec tenentur Patroni ullam rationem adminiſtrationis reddere) aut alterius perſonæ; nam ſicut Patroni ſoli ſunt & Oratorii, & eorum omnium, quæ ad Oratorium ſuum pertinent, Adminiſtratores, & Curatores; ita etiam oblationum quarumcumque; ſicut enim Parochus nihil Juris habet circa

Ora-

Oratoria Juris patronatus, ita, ut nec Miſſam in iis celebrare poſſit, abſque Patroni facultate, ex demonſtratis ſuo loco; ita multo minus ſibi comparare poterit Jus adminiſtrandi oblationes Oratorio factas, aut exigendi computum, & rationem adminiſtrationis.

174. Laici ergo oblationium Oratorio ſuo factarum adminiſtrationem habent: nec dedecet; quia, ex eodem Cardinali de Luca, illarum adminiſtratio non dicitur adminiſtratio Juris ſpiritualis, cujus Laici ſunt incapaces, & de qua adminiſtratione loquuntur Sacri Canones, quæque conſiſtit in diſpenſatione Divinorum, puta, in collatione Sacramentorum, aut in illis actibus ſpiritualibus, qui Eccleſiaſticis dumtaxat perſonis conceduntur. Sed agitur de adminiſtratione temporali, de cuſtodia ſupellectilis, & bonorum temporalium; & cura eorum apud Laicos eſt, & æconomica adminiſtratio, ne diſſipentur, ſeu in alios uſus, quam Oratorii, convertantur.

175. Variis præterea exemplis prædictus Cardinalis demonſtrat, ubique uſu eſſe receptum, ut etiam cuſtodia Sacrarum Reliquiarum, aliarumque Imaginum, & oblationum, quæ ad illas offeruntur, Laicis in quibuſdam Capellis, aut Confraternitatibus committatur; quandoquidem adminiſtratio hæc mere temporalis eſt, & æconomica, quæ verſatur circa veſtimenta, puta, circa vaſa ſacra bene cuſtodienda; utque oblationes, & proventus in decus Capellæ, Altaris, aut in alium uſum utriuſque, juxta voluntatem offerentium, impendantur: neque enim uſui Laicorum deputari poſſunt, quia ſecus præſcribunt Sacri Canones.

176. Quantum vero ad collectionem oblationum, ſeu eleemoſynarum ſpectat; ſubjiciam Decretum in *p.* 1. *Actor. Eccl. Mediol. pag.* 125. *edit. an.* 1599. *Ne in Eccleſia, aut pro foribus ejus, neve in Oratoriis, aliove ſacro loco colligendæ eleemoſynæ cauſſa, ne ipſius quidem Eccleſiæ, aut ejus Fabricæ, Rectoriſve nomine, capſula, vaſculum, menſæ, aliudve ejus generis, etiam extraordinarie collocetur; aut jam collocatum impoſterum permittatur, niſi Epiſcopi conceſſu literis exarato &c.*

Quæ hic de oblationibus, & *Cap.* præſertim VII. de functionibus non pertinentibus ad Eccleſiam Parochialem docui, confirmantur ex Libris agentibus de iis, quæ attinent ad illam ſuper Eccleſiis ab ea ſeparatis, ſed ſitis intra Paræciæ limites. In *c. fin. de offic. Archid.* contine-

netur, Eccleſias intra limites Paræciæ fundatas nullatenus ſubjici Eccleſiæ Parochiali, niſi quoad Jura Parochialia: quod ſi Eccleſia Parochialis aliquid amplius ſibi velit vindicare circa eaſdem Eccleſias, demonſtrare debet ſibi illud competere ex aliquo peculiari titulo, *c. Dilectus de Capellis Monachorum*; & conſonat deciſio 2089. *n.* 10. *& ſeqq.*, coram Coccino, & monet etiam Altovitus a Secretis Sacræ Congregationis Concilii in *una Bononien.* inter Parochum S. Mariæ Magdal., & Societatem S. Mariæ Coronatæ intra limites ejuſdem Paræciæ exſiſtentis propoſita 5. *Martii* 1689. *Opus eſt præmittere tamquam principium indubitatum, non ſolum ab hac Sacra Congregatione in Romana Funerum* 10. *Januarii* 1682., *& in Forolivien.* 18. *Novembris* 1684. *& in Nonantulana* 13. *Januarii* 1685. *verum etiam a Rota coram Coccino deciſ.* 2089. *num.* 3., *& ſequentibus, Eccleſias licet fundatas intra limites Eccleſiæ Parochialis, non eſſe huic ſubjectas, niſi quo ad Jura Parochialia; ſecus autem quo ad alia.*

Juxta eadem fundamenta reſpondit Sacræ Rotæ Tribunal in *deciſ.* 990. coram Molines Decano, & *deciſ.* 988. *n.* 1. *& ſequentibus* coram Lancetta pariter Decano. Enumerat autem Jura Parochialia præ ceteris Abbas in *rubric. de Parochis n.* 2. ubi docet, Parochiale jus conſiſtere primo in eo, ut Parochiani diebus Feſtis de præcepto audiant Miſſam in Parochiali Eccleſia *c.* 2. *de Parochiis*; quamquam id hodie conſilium potius, quam præceptum videatur: 2. ut Parochiani recipiant Sacramenta a Parocho *c. Nullus de Parochiis*, quod hodie reducitur ad Euchariſtiam in Paſchate, & in morte, ad Extremam Unctionem, & Matrimonium: 3. ut ſepeliantur fideles in ſua Paræcia, niſi habuerint ſepulchrum Majorum, aut in alia Eccleſia elegerint ſepulturam: quibus in caſibus reſervantur Parocho, juxta Conſtitutiones, ac Conſuetudines Diœceſium, quædam emolumenta Parochialia: 4. ut Eccleſiæ Parochiali ſolvantur decimæ, & oblationes, juxta tamen conſuetudinem uniuscujuſque Diœceſis. Quod totum reperitur in *citata deciſione* Coccin., de qua Lambertinus *Notific.* 17. *vol.* 5.

Hic *ibidem pag.* 254. advertit, præter hæc Jura Parochialia, eſſe functiones connexas, & dependentes a Juribus Parochialibus, eaſque nequire fieri, niſi a Parocho intra fines Paræciæ ſuæ, juxta verba *cit. de-*

M *ciſion.*

ciſion. cor. Lancetta *n.* 11. *Domini procedendum eſſe cum diſtinctione cenſuerunt*; *quatenus enim hujuſmodi Jus privativum exercendi Functiones Eccleſiaſticas reſpicit eas, quæ ſunt de Jure Parochiales, ſane diverſimode judicari non poteſt, quam favore ipſius Parochi, ad quem procul dubio privative quoad quemcumque Rectorem alterius Eccleſiæ, vel Oratorii, intra fines ſuæ Parochiæ exiſtentis, earum exercitium ſpectat*. Certum quoque eſt, inter functiones eſſe aliquas Sacerdotales equidem, quæ peragi poſſunt etiam a Rectoribus aliarum Eccleſiarum licet ſitarum intra Parochiam; nam ita ſequitur dicta deciſio *n.* 12. *Quatenus vero ad alias extendi prætendatur Functiones, quæ Parochiales non ſunt, ſed mere Sacerdotales, utique nullum Parochus Jus habet eas prohibendi Rectori alterius Eccleſiæ, niſi ita ex aliquo privilegio, aut pacto in fundatione poſito ſtatutum eſſe docuerit*.

CAP. XI.

Oratoriorum publicorum immunitas aſſeritur.

177. JUre communi, reos criminum, & ſervos metu Dominorum ſuorum confugientes ad Eccleſiam, abſtrahi ex hac non poſſe, conſtat ex pluribus Canonibus, *Can. Miror.*, *Can. Reum*, *Can. Frater*, *Can. Si quis contumax*, *Can. Metuentes*, *Can. Uxor*, *Can. Definivit*, *Can. Id conſtituimus*, qui ſunt 8. 9. 10. 20. 32. 33. 35. 36. *cauſ.* 17. *q.* 4. Nec ad Eccleſiam confugientes dimittebantur, niſi præſtito a perſequentibus ſacramento pro confugarum ſecuritate; quod in Gallia præſertim ſervatum fuiſſe ab ipſis fidei Chriſtianæ exordiis, adnotavit Cabaſſutius in *Theor.*, & *prax. Jur. Can. Lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 21. *pag. mihi* 31. ex Arauſicani Concilii I. Can. 5. Aurelianenſis I. Can. 1. & Aurelianenſis IV. Can. 21.

178. Nulla loca pia, aut religioſa primitus aſylo, ſeu immunitate gaudebant, præter Eccleſias; idque ſatis indicant Tituli Codicis Theodoſiani, & Juſtinianei, ſub quibus de hoc aſyli Jure pertractatur, utpote qui inſcribuntur, *de his, qui ad Eccleſias confugiunt*, & nonniſi de confugientibus ad Eccleſias (non autem ad alia religioſa, aut pia

loca)

loca) ſub iiſdem Titulis agitur, prout notavit Vaneſpenius in Diſſertatione Canonica de Templorum Aſylo *cap.* 4. *n.* 1. *pag. mihi* 173. *To.* 6. laudaturque ab eodem Petrus Gambacurta in ſuo ſpeciali Tractatu de immunitate *lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 1. obſervans, quod antiquioribus temporibus ſola Eccleſia exprimebatur; paulatim vero poſtea cæperunt alia quædam loca exprimi.

179. Quamobrem nunc *Eccleſiæ* nomine veniunt ædes ſacræ, publica auctoritate, ad divinum cultum, ac notanter Miſſæ Sacrificium deſtinatæ; & ad quas publicus, & ordinarius populi ad divina officia patet acceſſus; ac præterea ſub his ædibus ſacris non comprehendi privata, ſive domeſtica Sacella, ſeu Oratoria, multis probat Gambacurta ibidem; cui & praxis conformis eſt, inquit ibidem Van Eſpen *num.* 2. ſubdens certum eſſe nomine Eccleſiæ non tantum Chorum, aut Altare, vel Sacrarium, quo ad effectum aſyli, intelligi, ſed totum ſpatium, quod intra parietes ædis ſacræ continetur, & in quo populus ſolet convenire.

180. Etenim Eccleſiam, ſeu ſacram ædem hac gaudere immunitate, mox ut Epiſcopi auctoritate erecta, & ad divinum cultum in ea publice celebrandum deſtinata eſt; tametſi nondum ſolemni ritu fuerit conſecrata, aut benedicta, ex Monacello *tom.* 1. *tit.* 6. *n.* 24. neque in ea divina officia fuerint celebrata, modo in ſtatu ſit, ut in ea celebrari queant, communior eſt opinio, pro qua etiam Covarruvias in *Variis Reſolut.* plures citat Auctores *lib.* 2. *Cap.* 20. *n.* 4. *pag. mihi* 657.

Cum varius ſit vocabuli *Oratorii* ſenſus, ut obſervabat Du Cange in Gloſſario *v. Oratorium pag.* 1294. *&* 1295. tum Oratorium differt a Capella, quia hæc dicitur publicum Oratorium, & non poteſt erigi abſque Diæceſani Epiſcopi licentia *c.* 4. *de privil. in* 6. licet Oratorium ſimpliciter, in quo non celebratur, quælibet privata familia abſque ulla licentia queat erigere, ait Dominicus Macri in *Hierolexic. ſive Sacro Dictionario v. Oratorium*: Cui tamen nulla foret immunitas.

181. Oratoria itaque publica, non privata, immunia ſunt, eo vel maxime, quod cauſſa, & finis, ex quibus fundamentum ſumpſere immunitatis leges, Oratorio privato nequeunt aptari. Leges enimvero illæ immunitatis pertinent ad honorem, & reverentiam exhibendam locis ſacris, adnotante Didaco Covarruvia eodem loco *num.* 3. *pag.* 656.

 &

& apud Pignatellum *Tom.* 1. *Conſult.* 92. *n.* 3. Gloſſa in *cap. Inter alia de immun. Eccl.* Abbas ib. *num.* 4. nam ob reverentiam ſacris , religioſiſque locis debitam fuit inducta immunitas localis . Atqui id non vim obtinet quoad privata Oratoria ; quia quum hæc non ſint loca vel ſacra , aut perenniter , & immobiliter divino cultui dicata , vel religioſa ; quippe quæ ad libitum Dominorum domeſticorum converti illa poſſunt in profanum uſum , & *quod hodie eſt Oratorium , cras fieri poterit camera*, ex animadverſis a nobis *Num.* 6. ideo quis umquam non deſtituet Oratorium privatum immunitate ? cum & Barboſa a Pignatello laudatus *n.* 2. affirmet *de Jur. Eccl. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 68. ita declaraſſe Sacram Congregationem Epiſcop., & Regul. *die* 7. *Novemb. an.* 1617. plurieſque in Congregatione deciſum refert Pignatellus ex Diana 5. *p. n.* 4. quod & affirmant alii recentiores Auctores .

182. Oppoſita ergo de cauſſa , videlicet; quia ad perpetuum divinum cultum , eique vacandum , Oratorium publicum inſtitutum eſt , nec privata auctoritate transferri licet ad profanum uſum , immunitate potitur , quam late demonſtrat etiam Michael de Cortiada in *deciſionibus to.* 2. *quo pag.* 41. *& ſeqq.* , fuſe declarat Oratorii publici ſigna . Hæc tamen ut Eccleſiæ , vel Oratorio publico vindicetur , conſtare debet ex confectarum Scripturarum teſtimoniis , Pontificem tribuiſſe facultatem pro iis erigendis , inquit Jacobus Pignatellus : item fuiſſe determinatam dotem ſufficientem pro luminaribus , ac vita Miniſtrorum (ſi facta fuit conſecratio , ſecus ſi benedictio) & eſſe Altare lapideum , vel aliud conſtructum quidem ex materia , qua muri conſtruuntur, ſed habens Reliquias Sanctorum intrinſecus reconditas (quas tamen neceſſarias non eſſe pro conſecratione , vel benedictione , aut deputatione ad cultum divinum facta ab Epiſcopo , probat *num.* 32. *&* 33.) ac factam eſſe deputationem ad officia divina per conſecrationem , vel per benedictionem : itemque de lampade aliqua accenſa : de campanili , & campana , quæ proprie ad Eccleſias , & ad Oratoria publica pertinent, non ad privata : ac denique debet etiam conſtare de die dedicationis , deque ſolemnizatione dedicationis . Hæc & ſimilia Pignatellus : quæ tamen non omnia neceſſaria ſunt ad aſſerendam Oratorio publico immunitatem : quod fatetur etiam Pignatellus dicens ſine ambiguitate *num.*

13.

13. *Ut Eccleſia, vel Oratorium publicum gaudeat immunitate, ſufficit, quod ſit erectum de licentia Epiſcopi*; ſubditque *num.* ſequenti rationem, quoniam *Oratorium, vel Eccleſia per ſolam deputationem ab Epiſcopo factam, vel conſecrationem ſanctificatur, & ſpecialiori modo trahit ad præſentiam Dei, ejuſque cultum, ac proinde ſit etiam digna veneratione, ac reverentia*; prout & alii ab eo relati cenſuerunt.

183. Quoniam autem in approbatione, ac deputatione ab Epiſcopo facta invenitur fundamentum immunitatis Oratorii publici, atque Eccleſiæ, laudabile erit modum inquirere, quo valeat oſtendi, eamdem approbationem, ac deputationem revera factam ab Epiſcopo fuiſſe: qua in re aſſerit Pignatellus *num.* 15. communiter per Doctores cenſeri, ad comprobandam erectionem, vel deputationem Eccleſiæ, aut Oratorii publici de licentia Epiſcopi, vel benedictionem, aut conſecrationem, non requiri plenam, concludentemque probationem; ſed ſufficere aliqualem, ac etiam minorem ſemiplena; *quia non agitur de alicujus præjudicio, ſed de re maxime favorabili*.

184. Ac primo ex Teſtibus erui poteſt probatio, atque etiam ex unico; quum ratio generalis ſit, ut quando agitur de favore alicujus, & in iis, quæ nemini nocent, ſufficiat unus teſtis. Subſequuntur monumenta relicta ſive inſtar teſtificationum, ſive inſtar ſignorum, uti ſunt inſcriptiones ad conſervandam geſtorum memoriam poſitæ, quibus authenticæ probationis vis inhæret.

185. Cruces inſuper Eccleſiæ oſtendunt factam conſecrationem, præter ipſius Scripturas, aut Libros, in quibus actus hujuſmodi notantur, aut horum actuum memoriæ plene deſcriptæ fuere; addita quoque fama; cum quando de antiquis diſſeritur, præcipue civilibus, fama plene probet; dummodo conſtans fuerit, nullumque hujus exſtiterit initium; quandoquidem ſi famæ initium fuerit aſſignatum, juxta illud judicabitur.

186. Probationem conflant ulterius celebrationes ſolemnitatis conſecrationis, ita tamen continuatæ, ut præſumi valeat, eas a peracta conſecratione illico deſumpſiſſe exordium; etenim in antiquis, ubi maxime haud oportet exactam proferre probationem, ſufficiunt probationes præſumptivæ.

187. His præcipuis modis evinci poteſt ſuperius requiſitam approbationem Superioris præceſſiſſe; quæ quidem neceſſaria ad effectum immunitatis prorſus eſt; quaque intercedente, ne dum in conſecratis Eccleſiis, verum etiam in Eccleſiis, aut Oratoriis dumtaxat benedictis, aut etiam non benedictis, deputatis tamen tantum cultui divino, ob quem immunitatem acquirunt, Sacrificium poteſt offerri. Communi id firmatur ſententia Doctorum, a quibus ſane admonetur, hujuſmodi Eccleſias, vel Oratoria debere eſſe approbata vel a Summo Pontifice, vel ab Epiſcopo: in qua re ſupra triginta Auctores, ultra Gloſſam in *Cap. Si Eccleſia de conſecr. Eccleſ. vel Alt.* recenſet Pignatellus.

188. Satis ergo eſt pro immunitate, ut celebrari in iiſdem locis valeat, ſintque per Superioris Eccleſiaſtici auctoritatem divinis aſſignata honoribus; cum deputatio hæc, aut aſſignatio Epiſcopi locum ſuppleat benedictionis, ſitque inſtar cujuſdam conſecrationis; rationem quippe conceſſionis immunitatis non eſſe Sacrificium Miſſæ, aut continuam Sacramentalem Chriſti præſentiam, ſed ſolam deputationem loci ad divinum cultum factam ab Ordinario, communiter ab Auctoribus obſervatur; eandemque ſententiam ſecuta eſt Sacra Congregatio Immunitatis tum alias, tum in *una Romana* 1666. Nec deſunt, qui Eccleſiæ, aut Oratorio immunitatem aſſerant, tametſi nondum ſit abſoluta conſtructio, quemadmodum videre licet penes Jacobum Pignatellum *num.* 21. *Conſult.* 92.

189. Locum itaque religioſum de Jure Canonico facere, vel ex loco religioſo profanum reddere, nemo privatus poteſt: ſed ad id opus eſt auctoritate publica Eccleſiaſtica: in quo Jus Canonicum deviat a Civili; nam per iſtud ut locus aliquis religioſus fieret, non opus erat auctoritate Eccleſiaſtica; quoniam talis fiebat per tumulationem hominis mortui in eodem loco; ut conſtat ex *l. locum.* 2. *ff. de relig. & ſumpt. funer.*, ſecus per Jus Canonicum.

190. Ex animadverſione Vaneſpenii *p.* 2. *tit.* 38. *cap.* 2. *nu.* 22. *pag.* 612. conſtat, *cœmeterium per ſolemnem benedictionem e loco profano effici locum religioſum*; *immo tamquam Eccleſiæ appendici etiam de Jure immunitatem localem eſſe indultam*: quamquam *ſeq. cap. num.* 5. ait, hodie paſſim circa ſolas pene Eccleſias Parochiales cæmeteria (quæ ſunt

pro-

proprie loca ſepulturis deſtinata) ædificata, & auctoritate Epiſcoporum dedicata reperiri. Sicut Civitates deſierunt humare defunctos extra ambitum murorum; ita Eccleſia deſiit extra parietes ſacros, ac prope eos, ſepelire fideles, in gratiam Epiſcoporum primo, Principum dein, & Fundatorum earumdem Eccleſiarum, ac denique fidelium cujuſvis generis, & conditionis, ex Eminentiſſimo Orſi *Hiſt. Eccl. Lib.* 42. *num.* 62.

191. Plures Auctores animadvertunt cum Pignatello, ad probandum, ex auctoritate Ordinarii Eccleſias, atque Oratoria ceſſiſſe cultui ſacro, ſatis eſſe, ut probetur, interceſſiſſe licentiam Epiſcopi, etiam tacitam, petito fundamento ex *Can. Miſſarum* 12. *de conſecrat. diſt.* 1. *pag. nobis* 1150. *Miſſarum ſolemnia non ubique, ſed in locis ab Epiſcopo conſecratis; vel ubi ipſe permiſerit, celebranda eſſe cenſemus*; ubi notandum τὸ *permiſerit*; quippe cum permiſſio ſufficiat, ex vi hujus Canonis; etiam ſufficit tacita licentia; cum quid amplius involvat, ac ſignificet permiſſio, quam tacita licentia; quoniam Ordinarius loci vel annuit, vel ſaltem non contradixit; ſed ſivit erigi Eccleſiam, vel Oratorium; & tunc facto ipſo expreſſe conſenſit, declaravitque, ſe non contradicere erectioni.

192. Siquidem conſenſus non verbis tantum, ſed etiam facto, nutuque declaratur, *l. Labeo §. ult. ff. de ſupellect. leg. & l. Ibi non voce, ff. de regul. jur.*, *& l.* 2. *ff. de pact.* adeoque cum potuerit Epiſcopus contradicere, ac debuerit, ſi noluit, indicium conſenſus ſui præbuit. Addas, in hac cauſſa, ex nullius juris diſpoſitione, requiri expreſſam facultatem Epiſcopi; quumque ubi nullius Juris ſanctione requiritur expreſſa, ſufficiat facultas quæcumque, qua verus conſenſus præſeferatur; ſatis erit profecto conſenſus, ut vocant, *interpretativus*, qui verus conſenſus eſt; quantumvis non voce expreſſus; ideoque ſatis erit facultas in virtute.

193. His addam cum Laurentio Vigilio de Nicollis *tom.* 2. *pag.* 534. *n.* 14. privilegia omnia conceſſa Eccleſiæ, cenſeri etiam conceſſa Oratorio publico, prout de reſtitutione in integrum, de Beneficio *l. Unice C. quando* Imperator *inter pupill. & viduam*, cum privilegio immunitatis, & ſolemnitate requiſita circa alienationem rerum Eccleſiæ.

194.

194. Ex Oratoriis proinde publicis Rei a Judice laico nequeunt extrahi; nam illa eriguntur auctoritate Epiſcopi, & perpetuo dicantur divino cultui, & ſunt loca ſacra, & religioſa. Fruuntur ergo immunitate, *Cap. Eos 6. diſt.* 87. *Cap. Inter alia 6. de Immunit. Eccl.* Concilium Claromontanum ſub Urbano II. *c.* 29. *&* 30. Synodus Romana ſub Innocentio II. *can.* 12. Rhemenſis *can.* 4. Aurelianenſis *IV. can.* 21. Matiſconenſis II. *can.* 8. *&* 9. Toletanum Concilium II. *can.* 12. Tridentinum *Seſs.* 25. *de Reformat. cap.* 20. Quod non ſolum intelligendum, quando Oratoria ſunt ſacrata, verum etiam, ſi tantum ſint benedicta, aut auctoritate Epiſcopi cultui divino deputata, licet non hactenus benedicta; Amoſtazo *tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 10. *n.* 18. *pag.* 96. *edit. Lugdun.*, idque antea a nobis probatum. Sicut itaque licite celebrari Miſſa poteſt in Oratoriis non conſecratis, nec benedictis, modo ab Epiſcopo ad divinum cultum ſint deſtinata, & deſignata; ita hujuſmodi Oratoria immunitatem ſortiuntur; Paullus M. Quarti Cler. Regul *Comment. in Rubr. Miſs. Rom. p.* 3. *tit.* 10. *dub.* 3. *pag.* 382.

195. Partes porro ſacrorum ædificiorum aſylo fruentes, ſeu aſylum præbentes ex Conſtitutione Theodoſii, & Valentiniani Imper. *in L.* 3. *Cod. de his, qui ad Eccleſiam confugiunt pag. mihi* 77. enumerantur iis verbis: *Pateant Summi Dei templa timentibus: nec ſola altaria, & Oratorium templi circumjectum, qui Eccleſias quadripartito parietum ſeptu concludit, ad tuitionem cnnfugientium ſancimus eſſe propoſita: ſed uſque ad extremas fores Eccleſiæ, quas oratum geſtiens populus primas ingreditur, confugientibus aram ſalutis eſſe præcipimus: ut inter templum, quod parietum deſcripſimus cinctu, & poſt loca publica, & januas primas Eccleſiæ, quidquid fuerit interjacens, ſive in cellulis, ſive in domibus, hortulis, balneis, areis, atque porticibus, confugas interioris templi vice tueatur. Nec in extrahendos eos conetur quiſquam ſacrilegas manus immittere &c.*

196. Quid recenter hac in re ſtatutum fuerit pro Ditionibus MARIÆ THERESIÆ Imp., & Clementiſs. noſtrum Dominæ in Italia, dicam proximo Capite; nec hìc quid ultra addam, niſi alteram localem Eccleſiarum immunitatem, & Oratoriorum, excludere ab illis, adnotante Cabaſſutio *in Theor. & prax. Jur. Can. lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 22. omnes uſus profanos, non modo abjectos, & ſordidos, ut nego-

tia-

tiationes jumentorum, & bajulorum tranſitus, juxta Chriſti Domini exemplum ejicientis venditores, emptoreſque columbarum ex porticu templi, & proclamantis apud Matth. *cap.* 21. domum Dei eſſe orationis domum, nam *domum Dei decet ſanctitudo*, ex Pſal. 92., ſed excludere præterea omnem forenſem proceſſum, & judiciorum ſtrepitum, etiam a Cæmeteriis, *Cap. Cum Eccleſia* 5. *de immun. Eccleſ. & cap. Decet eodem tit. in* 6. adeo ut quæcumque judiciales ſententiæ in Eccleſiis latæ, nullæ ſint, ac irritæ, ſeu ut in *d. cap. Decet in fin.* dicitur, *proceſſus Judicum ſecularium, ac ſpecialiter prolatæ ſententiæ in eiſdem locis omni careant robore firmitatis*.

CAP. XII.

Nonnulla publici Oratorii indicia pro aſſerenda immunitate, & de hac animadverſiones.

197. Contingit non raro, nullum inveniri publicum Inſtrumentum, aut ſcriptum quodvis monumentum, unde queat comprobari Eccleſiæ, vel Oratorii erectio, aut deſtinatio ad divinum honorem facta ope Eccleſiaſticæ auctoritatis, ac poteſtatis. Nutare proinde immunitatem hoc caſu neceſſe eſt, niſi cum Doctoribus ſigna, aut indicia quædam indagemus, unde Oratorium publicum, adeoque etiam immunitate præditum, neceſſariaque facultate approbatum, dijudicemus.

198. Eorum primum petitur e publici Oratorii natura, juxta demonſtrata per me Capitibus I. & II. ſi videlicet aditus Oratorii ad publicam viam pertineat, & omnibus indiſcriminatim concedatur ingreſſus: Deinde ſi in eo publice celebretur Miſſa, & quiſque ad eam audiendam ſine delectu recipiatur, cum nempe *actus celebrandi eſt publicus, ita, ut omnes indifferenter admittantur*, ut utar verbis Proſperi Fagnani in *Cap. ult. de Cenſibus tom.* 3. *num.* 4. *pag.* 554. pluresque ad effectum ſufficere decennalem celebrationem ſentiunt (quidni etiam minorem?) ac maxime, quotieſcunque & publice, & in ſingulis anni Solemnitatibus inibi celebretur, juxta declarationem Sac. Congregationis

Epiſc., & Regul. in *una Januen. die* 7. *Junii* 1605. relatam etiam a Pignatello *tom. 6. Conſultat.* 40. *n.* 4. *In dubio cenſetur Oratorium publicum auctoritate Epiſcopi conſtructum, ſi publice campanam habeat, aut ſi publice, & in quibuſvis anni ſolemnitatibus in eo celebretur*: quod in Oratorii privati Altari fieri non permittitur, cum in privilegio Apoſtolico excipiantur ſolemniora Feſta. Rationem ſume ex Cap. II. ubi evicimus, Oratorium non cenſeri adſcriptum cultui Dei, niſi publicum ſit; cum divinus cultus ſit publicus natura ſuapte; iccirco cunctis communis: & ideo dici nequit cultui divino deſtinatum Oratorium, niſi cultus iſte exerceri queat eo modo, quo exigit ipſius natura exerceri. Si quoque ædificatum Oratorium intra Eccleſiam fuerit, aut appareat, non dubitatur, eſſe publicum; quia ex regula juris 42. *in 6. Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis*, ejus ſcilicet, quod per ſe ſtat, ſeu propria ſua virtute ſubſiſtit, ut ex Barboſa exponit Reiffenſtuel in *Tract. de reg. jur. pag.* 65. *n.* 2. *hic*; aut quod eſt præcipuum in re, & quaſi cauſa, ſeu fundamentum illius, quod accedit.

199. Indicium aliud Oratorii publici ſuppeditat turris, vulgo *Campanile* cum Campana, quæ publice ad convocandum populum pulſetur, eumque ad Eccleſiaſticas functiones ciendum, *Cap. Patentibus* 10. *tit.* 33. *de privil. & exceſs. privil. Sanfelic. dec.* 219. *num.* 3. *allegans Calderinum, & alios, Ital. de immun. lib.* 1. *cap.* 4. §. 4. *n.* 3. *Maſcard. de probat. concl.* 869. *num.* 1. *Decian. Tr. crim. cap.* 25. *num.* 19. *ubi de campana exſiſtente extra ædificium*; apud Pignatell. *num.* 24. ubi immediate ſubdit, ut Oratorium ſit publicum, minime oportere, eſſe Campanam ad cogendum populum; ſed ſine ipſa adhuc remanere publicum, dummodo omnibus pateat, uti jam præmonuimus Cap. I. & II. ſubjiciens præterea hanc non incongruam rationem, quia Campana indicat, Oratorium publicum eſſe, ideoque ſupponit, illud jam eſſe publicum; ſed non pertinet ad formam, per quam illud conſtituatur publicum; quippe ex Capp. I. & II. ſolus publicus aditus formam publici conſtituit Oratorii, & a privatis ſecernit Oratoriis. Quia ergo Oratorium publicum eſt, omniumque uſui deſtinatum, ad convocandum publice populum Campana adjicitur, quæ & collocari poteſt ſupra ædes privatas, ſed prope Oratorium, ut in aliquibus hujus Mediolanenſis Diæceſis conſpicitur locis, & Oratoriis.

200. Hæc de privatis Oratoriis in Libro confirmabat Jo: Baptiſta Gattico, probans, Campanam non neceſſario deſiderari, ut Oratoria perſeverent publica: *Quot enim in Villis præcipue, & Oppidis reperiuntur Oratoria, in quibus publice Sacrificium offertur, nec in illis ſuſpenſa reperitur ulla vel minima Campanula; quin propterea ab Epiſcopis interdicantur?* De Campana rurſus in Cap. XVII.

201. Publicum eſſe Oratorium tria alia pariter innuunt: Si habeat ſpeciale nomen alicujus Sancti, in hujuſque die ſolemne agatur Feſtum: Si fiant in eodem Oratorio publicæ Proceſſiones, quæ nonniſi in publicis Oratoriis fieri permittuntur, ex *C. Certum eſt de conſecrat. diſt.* 1. *pag. mihi* 1149. Si viſitatum appareat ab Epiſcopo, cui jus Oratoria publica viſitandi aſſeritur, non privata, ex Fagnano in *Cap. Auctoritate to.* 3. *n.* 2. *pag.* 554.

202. Urſaya, apud Lucium Ferraris in *Biblioth. v. Oratorium*, *to.* 1. *p.* 2. *diſcept.* 23. multis modis oſtendit, Oratorium eſſe publicum, ac inter alia, ſi habeat Altare fixum, & ſtabile; oſtenditque adhuc eſſe publicum, licet habeat januam in interiori atrio, ſeu Cortili palatii, ex Decret. Sacr. Congreg. Epiſcop, & Regul. *in Oſtunen.* 20. *Martii* 1698. & Sac. Congreg. Concilii in *Compſana* 31. *Maii* 1704., *&* 8. *Auguſti* 1705. & adducit exempla Urbis, & confirmationem citati Decreti in *Oſtunen.* 9. *Martii* 1702. Vide etiam Cap. XVIII. cum II., & XIX.

203. Succedit alter publici Oratorii character, dos nimirum; quam tamen oſtendimus Cap. X. hujuſmodi Oratoriis non eſſe neceſſario adjiciendam; quamvis non inficiemur, ex dotis etiam aſſignatione, ſi ipſa facta fuerit, comprobari, Oratorium eſſe publicum; non ſecus ac Campana, ex paulo ante notatis, addatur Oratorio, non quia ſine ea intelligi minime poſſit, illud eſſe publicum; ad illius enim eſſentiam non pertinet Campana; ſed ſi hæc adjiciatur, ex hac etiam publice populum convocante dignoſci poterit, Oratorium e publicis eſſe. Ad promovendum Officium, ſive Miſſam Parochialem, jam pridem conſtitutum eſt, ut Eccleſia Parochialis plures, eaſque majores Campanas habeat, quarum pulſu populum ad officium convocet: Regularium vero Eccleſiæ, & particularia Sacella, ſive Oratoria unam tantum Cam-

panulam habeant. *Extrav. un. de Offic. Cuſtodis in Comm.* quam in IV. Concilio Mediol. innovat S. Carolus. Vid. Cap. XVII. & XIX.

204. Non abſimile judicium eſto, ſi Oratorium habeat certum Capellanum, cujus Capellania in Titulum conferatur. Unde Sacra Congregatio Concilii in *una Tarracinen. die* 28. *Julii* 1619. & in *una Policaſtren.* 15. *Junii* 1616. & in *una Licien.* 15. *Januarii* ejuſdem anni, cenſuit, non comprehendi in Decreto Sacri Concili Tridentini, nec in Decreto prohibitionis celebrandi in Oratoriis privatis ſub Paulo V. Capellas, quæ ſunt erectæ in Beneficium, & conferuntur in Titulum, quamvis exſiſtant intra palatia Laicorum. Item Sacra Congregatio Immunitatis in *una Neritonen. die* 17. *Januarii* 1628. cenſuit, Capellam cum Beneficio eſſe removendam a domo privata, licet dum non eſt remota, gaudeat etiam immunitate. Vid. Caput XVIII. Similia hactenus recenſitis indicia Oratorii publici affert de Nicollis *to.* 2. *Praxis Canon. pag.* 534.

205. Pariter ſubſiſtit immunitas, ſi Capellania Oratorii ſit de Jure patronatus, cum Jus hujuſmodi ad ſola ſpectet publica Oratoria, & præſupponat velut fundamentum etiam auctoritatem Ordinarii; vel ſi ibi ſit ſepultura, aut Cæmeterium; vel adminiſtretur Baptiſmus; vel recipiat decimas; vel ſit immune a ſolutione Collectarum; vel ſi habeat Cymbalum, & publice pulſetur; cum privatis Oratoriis publica Cymbali pulſatio nequaquam concedatur; vel ſi habeat conditiones, de quibus in Brevi declaratorio adducto a nobis Capite II.

206. Hæc declarat, & ſtatuit Pignatellus cum aliis *loc. cit.*, concludens *num.* 25. quod ſi unum, vel alterum, plura, vel major pars, vel omnia ex ſignis adductis concurrerent, & tolerata fuerint ab Epiſcopo, certe hujuſmodi Capella, ſive Oratorium gaudet immunitate.

207. Non prætermittendum Didaci Covarruviæ monitum in *Var. Reſol. lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 4. plurimum in hac re valere conſuetudinem, hancque potiſſimum inſpiciendam; nam cum localis immunitas a Jure mere poſitivo dependeat, varia illa quoque eſſe poteſt, pro varia tam temporum, quam locorum conſuetudine.

208. Hinc BENEDICTUS XIV. S. P. in Brevi *diei* 9. *Decembr. an.* 1757. promulgato *die* 2. *Maii.* 1758. ab Eminentiſs. Paſtore noſtro Vi-

vigilantiſsimo JOSEPHO PUTEOBONELLO, votis annuens Clementiſs. Dom. Noſtræ MARIÆ THERESIÆ Imper. & æquam legem in Ditionibus eidem in Italia ſubjectis ſtatuens circa delicta, & loca, quoad immunitatem, immunitatis privilegium abſtulit Eccleſiis ruralibus ſitis extra Civitatem, locaque habitata, in quibus non conſervatur Ven. Altaris Sacramentum (non incluſis tamen Parochiis, & Eccleſiis filialibus earumdem, in quibus exercetur Cura animarum; utriſque enim Eccleſiis intactum ſervatur immunitatis privilegium, & jus) Abſtulit quoque immunitatem Capellis, & Oratoriis exſiſtentibus in domibus Privatorum, & Virorum Primariorum, licet habeant privilegium Capellarum publicarum, & aditum in via publica: item omnibus Capellis Arcium, & Caſtrorum clauſorum, etſi in iiſdem Capellis conſervetur Ven. Euchariſtiæ Sacramentum.

209. In eodem Brevi declaratur, quod tam quoad præfatas rurales Eccleſias, quam quoad omnes alias Eccleſias, quæ ſunt in Civitate, ac in aliis locis habitatis non debeat extendi beneficium aſyli extrinſecus, niſi ad atrium, dummodo ſit circumdatum muro, aut porticibus, ad ſcalas, januas tam anteriores, quam laterales, & ad anteriorem proſpectum, vulgo *facciata*, dumtaxat; dempta immunitate Campanarum turribus ſeparatis ab Eccleſiis, & a muris earum; dempta Eccleſiis dirutis, & derelictis per præviam profanationem ab Epiſcopis, & Ordinariis locorum faciendam.

210. Auctorirate Canonis *Sicut antiquitus 6. c. 17. q. 4. pag. mihi* 711. ſtatuitur de immunitate locali, *ut major Eccleſia per circuitum quadraginta paſſus habeat; Capellæ vero, vel minores Eccleſiæ triginta. Qui autem confinia earum confringere tentaverit, aut perſonam hominis, vel bona ejus inde ſubtraxerit, niſi publicus latro fuerit, quouſque emendet, & quod rapuerit, reddat, excommunicetur.* Hoc de Canone legas Diſſertationem Vaneſpenii de Aſylo Templorum *cap.* 3. *&* 4. in quo poſtremo illud ſciri ſcribit, hanc extenſionem ad hos ultra ſepta Eccleſiarum 40. aut 30. paſſus pleriſque in Provinciis exoleviſſe, uti teſtantur Ignæus ad *L.* 1. *ff. ad Senatus Conſultum Silianum*, & Remigius *de immunitate Eccleſiæ*; item Julius Clarus in ſua *Practica Criminali q.* 30. qui & addit, *hanc hodie conſuetudinem ſervari debere, quoniam communis eſt.* Unde

de

de & conſuetudine paſſim receptum eſt, nec domum, ſeu palatium Epiſcopi, tametſi intra hos 40. aut 30. paſſus extructum, hac immunitate gaudere.

211. Cæmeteria quidem & hodie ubique, proſequitur Van Eſpen, hac immunitate gaudent, non ſecus ac ipſæ Eccleſiæ; ſed non quia ea conſiſtunt intra hos 30. aut 40. paſſus; ſed quia tamquam loca ſacra ſolemni ritu ab Epiſcopo benedicuntur, & humandis fidelium Cadaveribus ſpecialiter deputantur; uti latius oſtendit Gambacurta *lib.* 4. *cap.* 3. Ex Pittono tamen in *Collectione jam toties citata num.* 1527. decrevit Congregatio immunitatis *die* 6. *Octobris* 1687. Eccleſiam ruralem gaudere immunitate per triginta paſſus, etiam in via publica; & non ſolum in ſpatio Cæmeterii.

212. Pignatellus *tom.* 9. *Conſult.* 19. egregie oſtendit, immunitate affici cubile, quod Eccleſiæ, vel Oratorio publico adhæret, tam ex Jure Civili, quam Canonico; & quidem per 30. paſſus, incipiendos a foribus Eccleſiæ, ſeu potius in toto circuitu Eccleſiæ: eamdem immunitatem indiſtincte extendi ad totius Eccleſiæ fabricam, etiam quoad habitationem conjunctam: omnia privilegia immunitatis etiam publicis Oratoriis eſſe communia; dummodo ea ſint immutabiliter divino cultui dicata, & in hac immutabilitate privilegium immunitatis niti.

213. In Brevi ſuperius memorato Sapientiſſimi Pontificis Benedicti XIV. recenſentur delicta, quæ pollere deinceps nequeunt favore immunitatis in Ditionibus Imperat. MARIÆ THERESIÆ in Italia; & cavetur, eodem favore deſtitui loca quædam (ultra recenſita *Num.* 208. *&* 209.) quæ ſunt horti, & viridaria, & alia loca Eccleſiarum, & cujuslibet Domus Religioſæ, ſi non circumdentur a muris, nec in Clauſura comprehendantur; Officinæ, & domus annexæ muris Eccleſiarum, aut Monaſteriorum, aut cujuslibet alterius Domus Religioſæ, licet habeant internam cum iiſdem communicationem, dummodo non ſint in Clauſura comprehenſæ; Domus, ubi degunt Sacerdotes, aut alii Eccleſiaſtici, licet habeant ingreſſum in Eccleſiam, exceptis tamen domibus, ubi degunt Parochi, & alii Eccleſiaſtici curæ, & cuſtodiæ Eccleſiæ deſtinati; dummodo quidem hujuſmodi domus habitentur ab iis ipſis, & non ab aliis, quæ habentes immediatam communicationem

in-

internam cum ipſa Eccleſia, fruentur ſacro aſylo, tametſi habeant oſtium cum exitu in viam publicam. Item in eodem Brevi præcipitur obſervantia in prædictis Ditionibus Italiæ Conſtitutionis Gregorii XIV. *Cum alias*, & Benedicti XIII. *Ex quo divina diſponente clementia*, in iis, quæ prædicti Brevis diſpoſitioni non adverſabuntur.

214. Ut vero ſuperius indicia attulimus, unde publicum, vel non, eſſe dignoſcatur Oratorium; ita non exiſtimo ſupervacaneum monere, Fundatorem acquirere facultatem affigendi in Oratorio, vel Capella, & etiam pingendi arma, & inſignia gentilitia: ex hiſque depromi argumentum, ſeu indicium optimum pro Patrono, ad probandum dominium, & Jus patronatus, prout Franciſcus a Moſtazo *lib.* 5. *cap.* 7., plurimique ab eo enumerati docent. Alia etiam de cauſſa *competit Patronis Jus ponendi in Eccleſia, vel Capella patronata inſcriptiones, arma, & inſignia ſuæ familiæ, vel ſepulchra, & ſimilia: non quidem ad pompam, & inanem gloriam, ſed ad excitandos ſe ipſos, & alios, tum poſteros ad virtutem, divinumque cultum, ut aſpectu talium admoniti, & vocati, moveantur & ad ſimilia opera pietatis, & ad orandum pro anima Fundatorum*, Mathæucci *Official. Cur. Eccleſ. c.* 28. *n.* 5. *pag.* 195.

215. Si igitur deſint ſcriptæ Tabulæ, & Inſtrumenta Notariorum, ſi deſint inſcriptiones in parietibus, aut lapidibus factæ; ad arma, inſigniaque familiæ converti debemus, ut inde, cuinam domiminium, ac Jus patronatus competat, ſciamus; hæc etenim a nullo alio apponi poſſunt Capellæ, vel Oratorio, niſi a Fundatore, vel Patrono; ut teſtatur Tondutus apud eundem a Moſtazo. At quia ex eleemoſyna collata, vel adjecto ornamento, aut aucta ſupellectili, aliquando apponuntur inſignia locis, & rebus ſacris; ideo, ut ex iis Jus patronatus comprobetur, deſiderarem, ea antiqua eſſe inſignia, ut eſt Oratorium, ſeu Capella; aut conſtare, nullam fuiſſe cauſſam aliam inſignia affigendi, niſi fundationem. Pertractant de hoc argumento plures cum Pignatello *to.* 1. *Conſult.* 114.

CAP.

CAP. XIII.

De Confraternitatum Oratoriis, eorumque functionibus.

216. NIhil aliud Confraternitatum nomine intelligi ſolet, quam Cætus, Congregationeſve, ſeu Sodalitia quædam hominum religionis cauſſa in unam ſocietatem, ſeu quamdam Fraternitatem coeuntium; & quodam ſpirituali confraternitatis fædere colligatorum: quam definitionem affert in *p.* 2. *tit.* 35. *cap.* 6. *num.* 1. Zegerus Bernardus Van Eſpen. A multis ſeculis hujuſmodi Confraternitates fuiſſe in Catholica Eccleſia, earumque originem ad S. Bonifacium natione Anglum, & Apoſtolum Germanorum, qui vixit circa *an.* 730. quidam referunt; indeque tum late propagatas, tum in varias Societates diſtinctas. De earum origine adi, ſi placet, Pignatellum *Tom.* 10. *Conſult.* 103. & Joan. Bapt. Baſſi Epiſcopum Anagninum in Tractatu *de Sodalitiis, ſeu Confraternitatibus Eccleſiaſticis, & Laicalibus.*

Confraternitates videri cæpiſſe *anno* 1233. cum ex Concionibus Religioſorum Ordinis Prædicatorum, præcipue vero Joannis Vicetini publica commotio in Lombardia extitiſſet, præſertim Populis calamitatibus variis valde laborantibus, ut publicæ proceſſiones omnium Ordinum in Urbibus, & in agris cum ſalutaris pænitentiæ indiciis cernerentur: qua de re Sigonius *in lib.* 17. *Regni Ital.* ſub memorato anno latius ſcribit, qui ea de cauſſa devotionis annus appellatus eſt: Confraternitates hujuſmodi eſſe pia loca, & ad Epiſcopi auctoritatem pertinere, Doctores conſentire videri communi opinione; ait eruditione, ac virtute perinſignis Vir Congregationis noſtræ Carolus a Baſilica Petri, Novarienſis Epiſcopus, in Commentariis Canonicis *ad C. de* Xenodochiis 3. *lib.* 3. *Decret. tit* 36. *n.* 6.

217. In erectione Confraternitatum, ſicut novarum Eccleſiarum, debere ſemper apponi clauſulam, *ſine præjudicio Jurium Parochialium*; quia Jura Parochi illæſa ſervanda ſunt: & ideo non aliter, quam ſub hac conditione Societates hujuſmodi, vel novas Eccleſias erigendas eſſe, reſolvit Sacra Congregatio Epiſcoporum in Collectione toties memorata Pittoni *num.* 766. *die* 12. *Decemb.* 1631. *& num.* 371.

ea-

eadem decrevit Congregatio ſub *die* 25. *Octobris* 1602. Confraternitati prohiberi non poſſe, ne fabricet ſuum Oratorium ſub prætextu, quod ſit nimis amplum, *ſine tamen præjudicio Jurium Parochialium*.

218. Quæ officia, functiones, & alia licitum ſit Confratribus ſuis in Oratoriis publicis obire, conſtat ex Decreto Urbis, & Orbis, quod fere totum attulimus Cap. VII. cui nonnullas reſolutiones, & Decreta oppoſita reperies apud Auctores, quæ e Romanis Congregationibus antea prodierunt. Sed illi Decreto ſtandum eſt, quod & omnia afficit loca, & Confraternitates legitime inſtitutas, & approbatum fuit a Clemente XI. *anno* 1704. ut alibi diximus, & conditum fuit ad dirimendas lites Confraternitatum cum Parochis, poſtquam alia multa Decreta prodierunt, quibus iſtud, quod eſt recentius, præcellit. Unde Reſolutiones, quæ ante hujuſmodi Decretum prodierunt, quæque eidem adverſantur, omni carent vigore, ut obſervat Benedictus XIV. *Notificat.* 17. *vol.* 5. *pag.* 245. Quare ego nonnulla alia addam Decreta ſuper res, & quæſtiones, de quibus nullus eſt ſermo in Decreto *anni* 1703. prædicto.

219. A Pignatello *tom.* 6. *Conſult.* 68. referuntur reſponſiones, ac Decreta Sacræ Congregationis ſuper Epiſcopis, & conſultationibus Epiſcoporum, cum difficultates, ac dubia quædam propoſuiſſet Epiſcopus Bergomenſis, quoad Confratres ſuæ Diæceſis, ac Civitatis, etiam unitos, & aggregatos Archiconfraternitatibus Romæ.

220. Quoad viſitationem, omnemque alium actum Confraternitates ſubduntur juriſdictioni Ordinarii, ad normam Decretorum Sacri Concilii Tridentini *Seſs.* 22. *cap.* 8. & Concilii Provincialis Mediolan. 2. *num.* 22. Vide infra *Num.* 237. 238. 239. Ut enim legitur in Volumine Allegationum collectarum per præfatum Carolum a Baſilica Petri, virum in Facultate Juris Canonici diſertiſſimum *pag.* 349. 350. ex Cavalcano *deciſ.* 47. *n.* 69. *verſ. Circa vero p.* 2. in negotiis, quæ tangunt Scholam, exercitium, opera charitatis, & bona communia, Confraternitates ſunt ſub Judice Eccleſiaſtico, maxime cum Fraternitas eſt annexa alicui Sancto, vel Eccleſiæ; & Confraternitates Laicorum non ſunt Collegia realia naturalia Eccleſiæ; in qua ſunt erectæ (cum qua nullam habent conjunctionem) ſed Collegia mere perſona-

 lia,

lia, quæ ad libitum recedere, & extingui poſſunt; nec inſtituuntur, ut in Hierarchia Eccleſiaſtica (cujus non ſunt membra) partem aliquam habeant, verum, juxta Conſtitutionem Clementis VIII. ut pietatis, & chriſtianæ charitatis officia exerceant. Monacellus *tom.* 2. *tit.* 13. *form.* 1. *n.* 25. *pag.* 20. Unde & incapaces ſunt ſpiritualium jurium.

221. Indulgentias ſolis Confratribus conceſſas, ſemel ab Ordinario viſas, & publicatas, poterunt Sodales ſibi, & inter ſe, quoties velint, ſine alia nova Ordinarii licentia publicare. Alias vero Indulgentias, omnibus Chriſtifidelibus in eorum Eccleſia conceſſas, non debent publicare, ſine ſingulari Ordinarii licentia, quoties hujuſmodi publicatio erit facienda; ut divini cultus ordini, ac decori, ac Chriſtifidelium ſpirituali utilitati, ac devotionis argumento rectius conſulatur.

222. Capellani Societatis alii non ſint ulli, niſi approbati ab Ordinario, etiam juxta Decreta Conciliorum Provincialium Mediolanenſium, ſpeciatim I. *p.* 2. *tit. quæ pertinent ad Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem*; & IV. *p.* 2. *eod. tit.* Addam ego, obſervandum plane decretum contentum *pag.* 9. *p.* 1. *Nemini ſine facultate ab Ordinario ſcriptis impetrata, in Oratoriis Sodalitatum ſecularium, quas Confraternitates vocant, aliiſve Eccleſiis, aut Oratoriis ſecularibus, quæ Parochialis Eccleſiæ finibus continentur, Miſſam celebrare liceat Dominicis, & reliquis feſtis diebus, niſi abſoluta concione, quæ inter Miſſam in Parochiali Eccleſia habebitur* (Vide dicta Cap. V.) dummodo Parochus celebret hora competenti. Ferraris *v. Parochus*.

223. Capellani, ſeu Confeſſarii Societatis non poſſunt abſolvere Sodales, aut alios in caſibus Ordinario reſervatis, ſine ejus licentia, niſi eis ſit indultum per privilegia Sedis Apoſtolicæ, quæ tenentur Ordinario edere, ut ei de hujuſmodi facultate Apoſtolica conſtare poſſit. Vide etiam Concilium Trident. *Seſs.* 14. *cap.* 7. & Synodum V. Mediolan. Provinc. *de pœnit.*

224. Confeſſarii Societatum hoc fere ſemper habere ſolent in privilegiis Apoſtolicis, ut Sodales in ingreſſu in Societatem, & in mortis articulo poſſint abſolvere a caſibus reſervatis Sedi Apoſtolicæ, etiam in Bulla in die Cœnæ Domini legi ſolita contentis. Sed de hujuſmodi, vel alia ſimili facultate Apoſtolica Ordinarius debet certior ſemel fieri

ex

ex lectura hujuſmodi privilegiorum, priuſquam Confeſſarii ea utantur.

225. Niſi Eccleſia Societatis ſit Parochialis, vel id Societati privilegio Apoſtolico, de quo Ordinario conſtet, ſit expreſſe indultum, non poſſunt Sodales hujuſmodi in ſuo Oratorio Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum conſervare, quod in Eccleſia Parochiali conſervari debet.

226. Nequeunt Confratres exponere Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, abſque licentia Ordinarii, prout mandat Concilium IV. Provinciale Mediol. *p.* 2. *tit. Quæ ad Sanctiſs. Euch. Sacr. pertinent*; & Sacra Congregatio cenſuit, hoc Decretum eſſe ſervandum; nec ſine licentia Ordinarii in Oratorio Societatis palam eſſe proponendum Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, niſi Ordinario conſtet, privilegio Apoſtolico id eſſe Societati indultum, cujus privilegii formam Ordinarius faciat ſervare. Non prætermittam ego hic, quod Confraternitates Laicorum, ſi cum licentia Ordinarii publicam expoſitionem Sacramenti Altaris faciant in eorum Eccleſiis, cavere debent, ne eam faciant illis diebus, in quibus fit in Eccleſia Parochiali; prout partibus informantibus ſuper utroque dubio reſpondit Congregatio Concilii in *Ferrarien. Jurium Parochialium an.* 1698. 22. *Martii* ex Pittono *num.* 1638. memoratæ non ſemel Collectionis.

227. Si non foveatur hoſpitalitas, ob quam capſulæ ad colligendas eleemoſynas exponuntur; quæritur, an Confratres poſſint eas retinere, contra Tridentinum *Seſs.* 25. *cap.* 6. & reſpondetur, ſi privilegio Apoſtolico facultas eleemoſynas quæritandi non ſit Societati indulta, id nonniſi ex Ordinarii licentia fieri debet, & ſecundum modum ab eo præſcribendum.

228. Non licet Confratribus aliqua ratione quæritare, contra Concilium Tridentinum *Seſs.* 25. *cap.* 9. & Bullam Pii IV. 13. *cal. Octobris anno ejus tertio*, quum ſint ſervanda Decreta Sacri Concilii Tridentini, & Literæ Apoſtolicæ ejuſdem Pontificis *de quæſt. Eleemoſynarum probibit.*

229. Licet Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Proceſſionibus ſine interventu Rectoris Eeclesiæ Parochialis, & licentia Ordi-

narii non videatur deferendum, non debet tamen Ordinarius negare licentiam id faciendi, quod aliquo privilegio Apoſtolico conceſſum reperit. Verum Ordinarius provideat, ut Sanctiſſimum Sacramentum reverenter, & honorifice de more deferatur.

230. Tametſi nullus debeat Sacramenta Chriſtifidelibus miniſtrare, niſi ad id admiſſus fuerit, & ſecundum ſuæ admiſſionis limites; recte tamen faciet Ordinarius, ſi ad augendam Chriſtifidelium devotionem permittat Capellano Societatis in illius Oratorio, extra tempus Paſchale, non ſolum Sodales, ſed alias quaſcumque perſonas devotas, ſibi notas communicare, niſi lateat aliquod magnum periculum, vel impedimentum.

231. Obſervetur illud, quod alias per Litteras Sacræ Congregationis decretum fuit, de Cura animarum per Capellanum Societatis, ſine licentia Rectoris Parochialis, non exercenda.

232. Obſervetur de ſepeliendis Sodalibus in Societatis Oratorio privilegium illis ſuper ſepultura conceſſum, ac illud, quod ſtatuit Concilium Provinciale Mediol. V. *p. 3. tit. quæ ad Schol. & Confratr.* ſcilicet, *Ne in Confratriarum, Scholarumve Oratoriis, Eccleſiiſve Cadavera etiam Sodalium ſepeliri liceat, niſi id licere ex certis privilegiis, tabulis, aut probatæ conſuetudinis immemorabili uſu conſtiterit Epiſcopo.* Præcipitur etiam ad obviandum fraudibus, ut videlicet ſepeliendus vere fuerit Sodalis illius Societatis ſex menſibus ante mortem, & ſaltem in articulo mortis ibi quoque elegerit ſepulturam. Et quamvis in ejuſdem ſepulturæ officio Rector Parochialis ſolus Stola indutus debeat peragere officium, juxta ritum Eccleſiæ, & ſepelire mortuos quoſcumque intra limites ſuæ Parochiæ, non arceatur tamen Societatis Capellanus, ſi is quoque velit Rectori aſſiſtere, & ſimul cum eo officium ſepulturæ pro defuncto Sodali ſuæ Societatis, in illo tamen Oratorio recitare. Hactenus Sacra Congregatio ad Epiſcopum Bergomenſem.

233. Similia præſcripſerunt Synodi, Toloſana *an.* 1590. *p.* 3. *cap.* 7. Avenionenſis *an.* 1594. *c.* 2. Narbonenſis *an.* 1609. *cap.* 34. & ne a noſtratibus diſcedamus, S. Carolus in Synodo V. Provinc. *pag. Actor.* 289. ſtatuit quoque: *Quo tempore in Baſilica Cathedrali, Eccleſiave Parochiali officium Veſperarum celebratur, tunc ne in ullis Confratriæ, Scholæve*

ve Oratoriis Civitatis, aut loci illius, ab eiſdem Confratribus recitari liceat Officia, ſed vel ante, vel poſt recitentur; ita tamen ut non ſolum hujuſmodi Officiorum occaſione non divertantur illi a divinis Officiis publicis; ſed nec etiam a Scholis Doctrinæ Chriſtianæ, in quibus ejuſmodi Confratres utiles adjutores, & Operarii eſſe ſolent.

234. In Collectione Reſolutionum ad Parochos pertinentium adornata a Pittono leguntur Decreta, & reſponſa datis per Sacram Congregationem prædictam ſimilia, quæ referre minime juvat. Nonnulla alia recenſebo. *Num.* 137. habetur ex Sacra Congreg. Epiſcop. apud eundem, Societatem Mortis neminem ſepelire poſſe, neque miſerabilem, non admonito Parocho, *an.* 1583. 5. *Julii*. *Num.* 286. Societatem Mortis non debere impediri, ne ſepeliendis pauperibus Sacerdotem cum Stola ducat, *an.* 1598. 9. *Martii*. Ex Rota apud laudatum Collectorem *Num.* 256. *an.* 1594. 7. *Novembr.* Quarta Funeralis non debetur Capellano Oratorii, ſeu Confraternitatum, ſi forte defunctum ibi ſepeliri contingat; ſed debetur tantum Eccleſiæ Parochiali.

Illud quoque certum eſt, unumquemque ſepeliri debere in propria Parochia, niſi aliam elegerit ſepulturam, vel alibi habeat ſepulchrum Majorum ſuorum.

235. Quibus quidem nihil juſtitiæ magis conſentaneum mihi dici poſſe videtur; nam quia Parochus curam ſpiritualem ſuorum Parochianorum viventium ſuſtinet, ipſiſque loco Patris eſt, æquum eſt, ut & defunctos non deſerat; ipſiſque etiam defunctis juſta perſolvat, & locum ſepulturæ concedat. Et ſicuti pro ipſis vivis orare, & Sacrificium offerre debuit; ita convenit, ut pro defunctis preces, Miſſaſque offerat. Hinc omnes Interpretes Jus iſtud funerandi Juribus Parochialibus annumerant ad *Cap. 9. de ſepulturis*, ut nos quoque fecimus in ſuperiori Cap. VI. Parocho itaque Jus funerandi competit, quandiu contrarium non probatur; ſicut Jus ei competit Sacramenta, aliave Paſtoralia intra limites ſuæ Parochiæ ſuis Parochianis exhibendi.

236. Ut igitur qui Confrater fuerit, ſive Sodalis, ſepeliri queat in Eccleſia, ſive Oratorio Sodalitatis, exigitur, ut ſibi in ea eligat ſepulturam (ſecus ſepelietur in propria Parochia) quod a recentioribus communiter doceri, & eſſe indubitatum, affirmat Pignatellus *tom.* 1.

Conſultat.

Conſultat. 17. *n.* 18. *pag.* 23. idque ſemper *ſine præjudicio Quartæ funeralis, aliorumque emolumentorum, quæ ſpectarent ad Capitulum, vel Parochum*, juxta Decretum Sacræ Congregationis Epiſc. & Regul. in *una Anconitana* 19. *Decemb.* 1608.

Hic præterea ex Monacello *To.* 2. *tit.* 13. *form.* 1. *n.* 54. *&* 55. *pag.* 20. notabis, functiones, quæ juxta alibi dicta vocantur Parochiales, uti celebrationem officii ſuper Cadaveribus, receptionem Mulierum ad purificationem poſt partum, atque Cinerum, Palmarum, & Candelarum ſolemnem Benedictionem, Miſſæ celebrationem Fer. V. in Cæna Domini, Domorum Benedictionem in Sabbato Sancto, Benedictionem Fontis Baptiſmalis, delationem, & expoſitionem publicam Euchariſtiæ, &c. S. Carolum in Concilio V. Provinc. *tit. quæ Sacramentalia*, *& Sacramenta pertinent*, & in Concil. P. VII. a Paullo V. approbato ſub *tit. de Societatibus*, expreſſe prohibuiſſe fieri in Oratoriis, ſive Eccleſiis Confraternitatum ſub pæna ſuſpenſionis a Divinis ipſo facto incurrendæ a Sacerdote, qui illic illas faceret. Hunc Ven. Magiſtrum ſequuta eſt Synodus Farfen. *anno* 1686. publicata, *in tit. de Societatibus Laicorum n.* 8. 10. *&* 11. cui præſens ſubſcripſit Sanctiſs., & Sapientiſſimus Clemens IX. dum erat clar. mem. Card. Caroli Barberini Ordinarii Farfen. in Baſilica Principis Apoſtolorum Vicarius, & Examinator Synodalis; item Purpura, & doctrina Eminent. Cardinalis Denkoff. in ſua Synodo *anno* 1695. impreſſa, & publicata, *ſub eodem titulo*. Ita Monacellus.

237. Juxta Decretum Concilii Tridentini *Seſs.* 22. *cap.* 8. Epiſcopos poſſe viſitare Confraternitates Laicorum in Eccleſiis Regularium etiam *exemptorum*, refert poſt alios Barboſa in *Collectaneis ad idem Caput* 8. Tridentini, & adducit reſolutionem Cardinalium, qua declaratum affirmat, ne dum ipſas Confraternitates, ſed etiam Capellas earum, in Eccleſiis Regularium exſiſtentes, Epiſcopum viſitare poſſe; in his ſaltem, quæ Confraternitatum adminiſtrationem ſpectant. Vide infra.

238. Neque diſſimilia continet Concilium V. Provinciale Mediol. *pag.* 289. *Actor. Eccl. Mediol.* ubi decernitur, ut *quæcumque & in hoc quinto Concilio, & in aliis Superioribus de Scholis Diſciplinatorum,*

rum, aliiſve de Confratriis etiam laicalibus conſtituta, aut præſcripta ſunt, ea Epiſcopus ab illis inviolate, integreque ſervari mandet; etiamſi in Eccleſiis Regularium illæ Scholæ, Confraternitateſve erectæ ſint, exerceanturve, ita ut ſi quid contra ab eiſdem uſquam factum fuerit, id pro culpæ modo ab Epiſcopo graviter puniatur arbitratu ſuo.

239. Apud Pittonum in *Conſtitut. ad Epiſcopos ſpectantibus num.* 1188. habetur Decretum Congreg. Concil. *an.* 1652. 4. *Maii in Dertonen.* quod *Confraternitates Eccleſiaſticæ, dum Epiſcopus earum Eccleſias, & Oratoria viſitat, tenentur pro rata cum Rectoribus Eccleſiarum Parochialium contribuere cibariis, & victualibus Epiſcopo viſitanti præſtari ſolitis, ſed videatur conſuetudo.*

In Concilio Romano *anni* 1725. ſub Bened. XIII. *tit.* 23. *pag. mihi* 55. edicitur, Confraternitates viſitandas eſſe ab Epiſcopis, juxta Tridentinum *Seſs.* 22. *de refor. cap.* 8. & ut ab *Confraternitatum, Hoſpitalium, ceterorumque Locorum Piorum Oeconomis adminiſtrationum rationes, præfati juxta Concilii decreta, exigant Epiſcopi ſingulis annis, niſi ſecus expreſſe in illorum fundatione ſit cautum.*

240. Quum in Decreto *an.* 1703. Sac. Congreg. Rit. confirmato ſequenti anno a S. P. Clemente XI., cujus multoties memini, quodque retuli pene integrum in Cap. VII. decernatur in reſponſione ad XI. *Expoſitionem quadraginta horarum, & benedictionem, quæ fit ſuper populum, non eſſe de Juribus mere Parochialibus*; nihil aliud innuitur hac loquendi formula, niſi expoſitionem illam, atque benedictionem, in Decreti ſenſu, fieri poſſe, abſque licentia, & interventu Parochi, etiam in Eccleſiis Confraternitatum intra Paræciæ limites ſitis, uti ex Benedicto XIV. *tom.* 5. *Notificat.* 17. notat Cavalieri *tom.* 4. *Commentariorum in Decreta Congreg. Rit. pag.* 74. 75. *edit. noviſſimæ Venet. anni* 1758.

241. Hæ porro limitationes ſubduntur in Decreto prædicto, *ſalvis conventionibus, & pactis in erectione Confraternitatum forſan factis, concordiis inter partes initis, & a Sancta Sede approbatis, indultis, Conſtitutionibus Synodalibus, & Provincialibus, & conſuetudinibus immemorabilibus, vel ſaltem centenariis.* Quare cum intacta ſalvari oporteat Jura Parochialia, ſunt ea ita explicanda, ex eadem ſanctione, ut Parochus aſſiſtere debeat, ſi tumulandus ſit illi ſubditus; vel adhuc exter,

qua-

quatenus ita ferant Synodi, conventiones, aut pacta, conſuetudove immemorabilis, vel centenaria. Inter Jura Parochialia commemorantur itidem cerei, aliæque eleemoſynæ, juxta præſcriptum conſuetudinis, & Synodorum, ad quas in materia funerum potiſſimum eſt habenda ratio. Hæc Cavalieri *to.* 3. *pag.* 97. *n.* 3. *&* 4.

242. Hic idem præclarus Scriptor diſcrimen (cujus fecimus & nos alibi opportunam mentionem) ex tenore illius Decreti *anni* 1703. ſtatuit inter Jura Parochialia, & functiones Parochiales, atque alias functiones mere Eccleſiaſticas. Jura, ait ille *tom.* 4. *pag.* 2., reſpiciunt, & annexa habent emolumenta quædam, ſeu utilitates, & privative Parochis competunt, ut baptizare, Matrimoniis aſſiſtere, levare cadavera. Functiones Parochiales ſunt quædam functiones Eccleſiaſticæ, quæ quum ad officium Parochi nequaquam pertineant, reapſe non ſunt Parochiales; ſed Parochiales nihilominus vocantur, quia tamquam præeminentiæ, ac prærogativæ Parochis reſervantur: eæque in duplici ſunt claſſe; nam quædam ita Parochis reſervantur, ut a nullo alio fieri poſſint, & in hoc ſenſu celebratio Miſſæ ſolemnis Feria V. in Cæna Domini in eodem Decreto definitur, *non eſſe de Juribus mere Parochialibus, ſed ſpectare ad Parochum*; quum haberi valeat ab Eccleſiis Regularibus, & Secularibus, etiam intra Parochiæ limites conſtitutis, in quibus aſſervatur Sanctiſſimum Sacramentum.

243. Secunda earumdem functionum claſſis eas complectitur, quæ reſervantur Parochis dumtaxat quo ad aliquos; & ſub hac ratione eadem Miſſa ſolemnis ejuſdem Feriæ ſpectat ad Parochos, non quidem abſolute, & ſimpliciter, ſed ſolum relate ad Oratoria, & Confraternitates ita ut ab harum Rectore, vel Capellano nullatenus haberi valeat; cum editum ſit illud Decretum, ut ex ejus liquet Proæmio, *ad debitum imponendum finem controverſiis, quæ inter Parochos, & Confraternitates ſeculares, earumque Capellanos, & Officiales ſuper Juribus Parochialibus, & functionibus Eccleſiaſticis, nonnulliſque præeminentiis, ſeu prærogativis frequenter exoriri ſolent.*

244. Denique functiones in tertia ſpecie conſtitutæ, quæque mere Eccleſiaſticæ nuncupantur, a quocumque indiſcriminatim Sacerdote peragi poſſunt, uti ſunt Benedictiones aquæ luſtralis &c. Hæc omnia

nia eruditiſſimus P. Cavalieri, qui eodem *tom.* 4. *pag.* 121. 133. 182. 186. 195. evincit Benedictionem, ac diſtributionem Candelarum, Cinerum, & Palmarum non eſſe ex juribus mere Parochialibus; ſicut nec Benedictionem Puerperarum, ac primam pulſationem Campanarum in Sabbato Sancto, nec Benedictionem Seminis, Ovorum, & ſimilium; de quibus & nos in Cap. VI., & VII. diſſerebamus.

245. In ſuperioribus Capitibus frequenter mentio occurrebat Decretorum Sacræ Rituum Congregationis; & occurret in poſterum; ideo non erit inopportunum adnotare, qua vi polleant eadem Decreta. Etenim, eodem P. Cavalieri obſervante *to.* 1. *Comment. in authentica S. R. Congreg. Decreta*, hæc etſi plerumque ad particularium perſonarum inſtantias, aut quæſita edita fuerint; nihilominus deſerviunt inſtar normæ, ac exempli pro iiſdem, & aliis ſimilibus caſibus in Eccleſia univerſali (niſi ſpecialis adſit ratio, aut circumſtantia, quæ ultra perſonas, Eccleſiaſve, pro quibus edita fuerunt, vagari non ſinat) ſimili prope pacto, ac pleræque Eccleſiæ Conſtitutiones a Decretalibus Pontificum Romanorum Epiſtolis manaverint; nam licet ii has pro quibuſdam ſingularibus cauſſis ſcriberent, eſſentque reſponſa pro re nata conſulentibus data; eo tamen conſilio ſcripta fuerunt, ut in poſterum in cauſſis ſimilibus vim generalium Conſtitutionum obtinerent, dicente Innoc. III. *in cap.* 9. *de vot. & vot. redempt. In conſultatione noſtra jus editur*: quo de argumento adeas doctiſſimum Virum Joannem Bapt. Bartholi Epiſcopum Feltrienſem in *Inſtit. Jur. Can. cap.* 17. *edit. an.* 1749. Ita ex praxi, ſenſuque Doctorum, qui de Sacris Ritibus, vel Cæremoniis ſcripſerunt, colligitur.

Cum, adnotante Lambertino, dein P. BENEDICTO XIV., *Notificat.* 17. *vol.* 5. Benedictiones Mulierum poſt partum, Benedictio Fontis Baptiſmalis, & celebratio Miſſæ ſolemnis Fer. V. Hebdomadæ Majoris, tribuantur privative Parochis etiam per Concilia Provincialia Mediolani ſub D. Carolo celebrata, & in Decretis anni 1703. præcitatis relinquantur Parocho, utut non ſint de Juribus Parochialibus; eaſdem Parocho ſinit habendas ipſemet Lambertinus quoad Diæceſim Bononienſem.

Ex his omnibus congeſtis eruis, quo loco habeas, quæ generatim

ſcribit Ventriglia *to.* 2. *Annotat.* 19. *n.* 17. *pag.* 200. nempe in Oratoriis publicis maxime Confraternitatum, & in aliis ſimilibus Eccleſiis, quæ non ſunt curatæ, nec Regulares, non poſſe Sacerdotes, & Capellanos illarum peragere functiones Parochiales, quæ populi, & animarum curam quoquomodo concernere videntur, ut ſunt Candelarum, Cinerum, Palmarum, Fontis Baptiſmalis Benedictiones, Sanctiſſimi Sacramenti delationes, celebrationes Miſſarum Fer. V. in Cæna Domini, & Sabbati, Aſperſiones domorum.

CAP. XIV.

De Oratoriorum uſu, diviniſque Officiis in iis perſolvendis.

246. USus Oratoriorum publicorum, quæ vel Epiſcopali conſecratione, vel Sacerdotis cujuslibet, de mandato Epiſcopi Ordinarii loci, benedictione, divino cultui obeundo fuerunt attributa, nonniſi ſacer eſſe poteſt; non vero ſecularis, non profanus. Etenim ex regula Juris 51. *in 6. Semel Deo dicatum non eſt ad uſus humanos ulterius transferendum.*

247. Quod deſumitur, adnotante Phæbeo hic *pag.* 272. *ex cap. Ad hæc* 4. *de religioſ. domibus tit.* 36. Nam quum quidam locus Epiſcopali auctoritate fuiſſet deputatus ad uſum hoſpitalitatis, & pauperum; & contenderetur, ut in ſæcularem ædem converti valeret, interrogatus hac de re Urbanus P. IV. ab Ariminenſi Epiſcopo, huic Pontifex reſpondit, *quod ſi locus ad hoſpitalitatis uſum, & pauperum proviſionem fuerit (ſicut moris eſt) auctoritate Pontificis deſtinatus, cum ſit religioſus, non debet mundanis uſibus deputari, ſicut de veſtibus, & ligneis vaſis, & aliis utenſilibus ad cultum Religionis per Pontificem deputatis, antiqua conſuetudo indubitanter obſervat, & venerabilium Patrum edocent ſanctiones.*

248. Vim ſuam ſortitur regula circa publicum Oratorium, utut non fuerit conſecratum, ſed mere benedictum. Notabis hoc loco, generatim per benedictionem accipi, & intelligi precem, qua Eccleſiaſtico more rebus ſpecialis ſanctitas confertur, ita ut in uſus profanos illæ deinde

inde transferri non poſſint. Atque ex Cajetano in 2. 2. *q.*88. *art.*11. allato per Gavantum *p.* 4. *Comment. in Rubric. Miſs. tit.* 19. benedictiones aliæ vocantur *conſtitutivæ*, aliæ *invocativæ*. Per priores tam perſonæ, quam res divino deſtinantur cultui: per poſteriores a Deo imploratur auxilium vel perſonis, vel rebus. In claſſe priorum habentur benedictiones aquæ, veſtium Sacerdotalium, mapparum Altaris, corporalium, & vaſculi pro Sacroſancta Euchariſtia; de quibus agitur in Miſſali; quia communes eſſe poſſunt ſimplici Sacerdoti privilegiato, ſeu delegato, ne dum Epiſcopo, ſeu Abbati: in eademque claſſe reponitur benedictio Oratorii publici.

249. Claſſis altera complectitur benedictionem Agni in Paſchate, ovorum, panis, novorum fructuum, cujuſcumque comeſtibilis, candelarum, loci, domus novæ, thalami, & novæ navis, quæ in Miſſali deſcriptæ ſunt, citra præjudicium aliarum, quæ in Rituali Romano habentur; quia hæ a quocumque Sacerdote fieri poſſunt, & fieri ſæpius contingit; neque Rituale Romanum, ſicuti Miſſale, cuicunque facile ſuppetere ſolet. Ibidem non dubitat Gavantus, talium benedictionum originem, quæ fiunt per verba Sacerdotis, addito ſigno Crucis, ab Apoſtolis peti. Quæ ergo benedictionem *conſtitutivam* acquirunt, ut Oratorium publicum, in profanos uſus transferri non licet.

250. Id vero accipe, dummodo perſeveret Oratorii forma; ſecus quippe differendum, ſi illud non retineat formam Oratorii; ut ſi decidant parietes alterutrius lateris, ſi obruatur tectum, ſi muri disjiciantur igne, tormento bellico, terræmotu, cauſſiſque aliis; unde talis eveniat læſio in Oratorii ſtructura, & compagine, ut illud formæ ſuæ notabilem paſſum ſit mutationem; tunc enim ad quoſcumque uſus ſeculares, & humanos transferri poteſt, niſi refecto illo, inſtauratoque, nova conſecratione, aut benedictione priſtinis ſacris uſibus aptetur.

251. Regula equidem, *Semel Deo dicatum* &c. vim habet, dummodo rei forma minime mutetur; ut ſi urgeat neceſſitas redimendi captivos, alendi pauperes, populoque calamitatibus oppreſſo opem ferendi &c. & aliunde pretium nequaquam ſuppetat; venduntur interdum vaſa ſacra etiam Laicis, confracta tamen, vel comminuta, ſive ut dicitur *C. Hoc Jus* 2. 10. *q.* 2. *pag.* 536. *conflata*; non vero integra.

252. Cætera, quæ hic deſiderare quiſquam poſſet, quoad decentiam, cuſtodiam, ſupellectilem, formam, &c. Oratoriorum publicorum, habentur Cap. I. II. V. & X., & infra Cap. XVIII. XIX. Unde unicuique innoteſcit, qua ſolertia Patroni, aliique vel Cuſtodes, vel Æditui Sacrorum Oratoriorum conari debent elegantiorem iis cultum adſciſcere. Etenim *Jerem. XLVIII.* 10. ſegnius divina opera proſequentibus ultio inſtat: *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter*, vel ut legunt LXX. *negligenter*. Quæ ſententia, teſte Joanne Bapt. Du Hamel in hunc locum, aptari ſolet Clericis, qui officium Eccleſiaſticum curſim legunt, aut decantant; verum, & iis, quibus Oratoriorum cura demandata eſt, aptari poteſt; ex eodem quippe Religionis fonte, unde emergit obligatio accurate perſolvendi divinas laudes, oritur debitum accurate præſtandi, quæ ad divinum cultum, divinoque cultui dedicatas ædes, rite ſpectant.

253. Quia igitur publici natura Oratorii illud ſacro tantummodo aſſignat cultui, idcirco nec Patronus illud uſibus ſuis ſecularibus aſſignare poteſt; habet ſiquidem tutelam illius, non dominium; curam, ſed non poteſtatem diſponendi de eo, prout libuerit.

254. Ad divini honoris, atque cultus incrementum ſpectat etiam modus, quo divina in publico Oratorio perſolvuntur officia: de quo argumento breviter pertractare inſtitui. Ex Sacra Rituum Congregatione 18. Auguſti 1629. *in Alexandrina*, prodiit Decretum, *Non poſſe celebrari Feſtum conſecrationis illius Eccleſiæ, quam certum eſt, non fuiſſe conſecratam; vel dubium eſt: Si autem conſtet de conſecratione, & ignoretur dies, poteſt Ordinarius aſſignare diem pro Feſti prædicti celebratione.*

255. Nonniſi ſapienter admodum ita ſancitum, ut de priore dicamus Decreti parte; nam quum Feſtum Conſecrationis alicujus Eccleſiæ ſit annua quædam memoria, & recenſio Conſecrationis ejuſdem Eccleſiæ jam quondam factæ, aperte liquet, Feſtum conſecrationis illius Eccleſiæ celebrari minime poſſe, quam certo innotuit, nequaquam fuiſſe conſecratam. Præterea ſimiliter prudenter cavit Congregatio, ne celebretur Feſtum Conſecrationis illius Eccleſiæ, de qua dubitatur, utrum fuerit conſecrata: quo enim pacto permitti poteſt, ut certa Feſtivitas dubiæ conſecrationi reſpondeat? Si ergo Oratorium publi-

blicum certo, vel ambigue conſecratum habeatur; jam habes, quid agendum.

At ſi Oratorium fuerit tantummodo benedictum, quid gerendum? Cum ut plurimum Oratoria non conſecrentur, ſed benedicantur dumtaxat, nec plerumque ſolemni ritu ab Epiſcopo dedicentur; annua ne facienda erit Benedictionis memoria? Affirmat Peyrinus cum Lezana apud Cavalieri *tom.* 1. *pag.* 15. &c. quos ambos confutat P. Cavalieri, præſertim quia, dum de dedicationis Feſto agitur, ſermo eſt de Anniverſario Conſecrationis die, *cap. Præcepta Synod.*, *cap. Baſilicas*, *cap. Certum eſt*, *cap. Arianorum de conſecr. diſt.* 1. Hinc cum plurimæ inveniantur Eccleſiæ benedictæ quidem, ſed non conſecratæ, earumdem dedicationis Feſtum celebrari haud poteſt.

256. Præcedentem ſubſequitur quæſtio altera inter Rubricarum Eccleſiaſticarum, Rituumque Interpretes mota: an recitari queat, ac debeat officium de Patrono, ſeu Titulari Oratorii publici minime conſecrati, ſed ſolummodo benedicti; quemadmodum fieri debere mandant paſſim Rubricæ circa Sanctum Titularem propriæ Eccleſiæ; & quidem ſub ritu primæ claſſis, & cum Octava.

257. Si Oratorium fuiſſet conſecratum, controverſia diremta jam eſſet; nam ſi vim habere debent Rubricæ, præſcribentes ea ſingulari cultus ratione recolendum eſſe Patronum, ſeu Titularem Eccleſiæ; plane quoad Titulum Eccleſiæ conſecratæ. Verum non minus diremta lis eſt, ſi Oratorium ſolum fuerit benedictum, non conſecratum; poſtquam anno 1710. 21. *Junii* Sacra Rituum Congregatio *in una Capuccinorum Provinciæ Lugdunen.* edidit Decretum in hunc modum: *De Patrono, ſeu Titulari Eccleſiæ debet fieri Officium ſub ritu duplici primæ claſſis cum octava a Clero eidem adſcripto*; *etiamſi Eccleſia non fuerit conſecrata, ſed tantum benedicta*: quod ex uſu etiam confirmari, animadvertit Guyetus *lib.* 1. *cap.* 4. *q.* 5. apud Cavalieri *to.* 1. *cap.* 2.

258. Rationem optimam ita decernendi habere potuit Sacra illa Congregatio; nam ex Doctrina Gavanti noſtri, atque Guyeti, imo ex univerſali Auctorum ſententia, Eccleſiæ Titulus eſt ille Sanctus, vel Res, ſub cujus nomine, ſeu titulo fundata eſt, & vulgo appellatur Eccleſia; quod enim eſt homini baptizato nomen impoſitum, hoc idem

Ec-

Eccleſiæ cuicumque Patronus, ſeu Titulus, quo videlicet ipſa nuncupatur, & ab aliis Eccleſiis proprio veluti nomine dignoſcitur. Porro Eccleſia hoc ipſo, quod eſt benedicta, accipit denominationem ab eo Sancto, vel Sancta, in cujus honorem, ac memoriam eſt benedicta, ſimili plane modo ac quando eſt conſecrata; ideoque ille Divus, vel Diva ejuſdem Eccleſiæ eſt Titulus.

259. Præterea facta benedictione, ſtatim & vocatur, & eſt idem Sanctus vere Patronus; nam illico Sanctus Patronus patrocinium ſuſcipit ne dum Fundatoris ejuſdem Eccleſiæ, qui eam in illius Sancti, vel Sanctæ honorem ædificare curavit; ac ceterorum, qui in ipſamet Eccleſia ſortem deinceps habebunt; verum etiam ipſius Eccleſiæ materialis tutelam, ac patrocinium ſuſcipit; hancque Eccleſiam idcirco de profana ſacram ſuo nomine, ac veluti jure vindicat, facitque eam conſortem omnium immunitatum, quæ ſive Canonico, ſive Civili Jure Eccleſiis tribuuntur. Quinimo idem Sanctus Titularis ſpecialiter, ac ſi foret conſecrata, eidem Eccleſiæ benedictæ aſſiſtit, ac tutatur evidentibus etiam, ut non ſemel deprehenſum fuit, miraculis, ac in profanatores ſevere animadvertit. Hæc ſolide Cavalieri de more.

260. Quod ſi curioſe inquiras, cur ſolemni ritu faciendum ſit Officium Sancti Titularis Eccleſiæ benedictæ, non autem Feſtum in memoriam Benedictionis ejuſdem Eccleſiæ; juxta dicta, & præſcripta a Romana Rituum Congregatione; a nonnullis reponitur, olim Miſſam ſolis in Eccleſiis conſecratis peragere licuiſſe ex *Cap. Nullus, ex C. Tabernaculum, & C. Sicut non alii de Conſecr.*; ſed poſtea fuiſſe permiſſum celebrare in quocumque loco ſacro per ſimplicem benedictionem ad cultum divinum deputato. At hæc Benedictio, teſte Baruffaldo *in Comment. ad Rituale Rom. tit.* 72. *n.* 88. eſt in ſubſidium, & ad modum proviſionis; non autem de natura loci tam digni, qui de jure conſecrandus eſt. Addunt, Conſecrationem Eccleſiarum fieri per unctionem ex Sacro Oleo, & Chriſmate, quibus excellentius ſignificatur Divinæ Majeſtatis præſtantia, & dignitas; eademque Conſecratio ſolemniter admodum, magnificeque peragitur: ideoque ſapienter ſancitum fuit, ut Feſtum Dedicationis conſecratæ ſolemni ritu Eccleſiæ fieret. Sed quia Benedictio non ſolemni ritu peragitur; nec ab Epiſcopo, ſed a quocum-

que

que ſimplici Sacerdote, & per modum proviſionis, atque in ſubſidium Conſecrationis Epiſcopalis, Benedictionis Feſtum recolendum minime eſt.

261. Inde erues cauſſam, cur adhuc benedictæ Eccleſiæ Patronus Titularis ſit colendus Officio ſolemni, ex Decreto prælaudato Congregationis Rituum; Sanctus enim Patronus, ſeu Titularis eligitur ad promovendum ejus patrocinium, ad tribuendam Eccleſiæ etiam dumtaxat benedictæ denominationem ejuſdem Sancti, qui nec ſeligitur per modum proviſionis, atque in ſubſidium Conſecrationis; ſed immutabilis perſeverat, & abſolute, ac ſimpliciter tamquam Patronus; quanquam Eccleſia benedicta poſtmodum conſecretur. Igitur cum omnia, quæ ad Sanctum velut Patronum ſpectant, habeamus, etiam poſita illa ſola Oratorii publici Benedictione, & ante Conſecrationem; ideo merito aſſeritur, de eo eſſe exſolvendum Officium, juxta ordines Rubricarum,

262. Quare cum ad Feſtivitatem de Titulo inducendam ſufficiat Benedictio, nec opus ſit Conſecratione; in Oratoriis publicis excoli debet eorumdem Titulus, vel Sanctus Patronus cum Officio, & Miſſa ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum Octava. Quod ſi ſit etiam Titulus Beneficii, poterit, ac quoque debebit Beneficiarius, qui ei præſit, ita de illo Sancto Titulari recitare.

263. Sed ſi nec ſit Titulus Beneficii, nec alteri Eccleſiæ Clerum habenti adnexum ſit Oratorium publicum (ſicut evenire ſolet plerumque in Oratoriis publicis præſertim Juri patronatus obnoxiis) nihilominus tam in Feſto, quam in Octava ipſiuſmet Divi Titularis, debebit, non quidem recitari Officium (cum nemo ſit, qui illud recitare valeat) ſed celebrari Miſſa ſub ritu per Rubricas reſpective de Divo, vel Diva Titulari Eccleſiæ præſcripto, ſpeciatim ſi in Feſto ejuſdem Divi Patroni, ſeu Titularis ad illud Oratorium publicum concurrat frequens populus, qui ad illud accedit, Miſſam de Titulari Patrono auditurus; ut hoc pacto fidelium confluentium devotio foveatur, & pietas augeatur.

264. Quoniam vero ex dictis hæc ſatis aperta ſunt, non opus eſt alia in hanc rem allegare, niſi hoc unum, quod Capellæ publicæ hujuſmodi, ſeu Oratoria publica veniunt etiam nomine Eccleſiæ, ut docent

cent citati a P. Cavalieri, Guyetus *cap.* 1. *q.* 5. *cap.* 16. *q.* 3. &c. Panormitanus *in cap. Eccleſiæ n.* 7. *de immunit. Eccleſ.* Sylveſter *v. immunitas*, Barboſa *de appell. v. Eccleſia n.* 16. Leander *Tract.* 5. *diſput.* 14. *q.* 73. Diana *Coord. tom.* 4. *tract.* 2. *reſol.* 60. *&* 61., & alii communiter loquendo in materia favorabili. Quum itaque hujuſmodi Oratoria Eccleſiis accenſeantur, & ex diſpoſitione Rubricarum debeat celebrari Feſtum Tituli Eccleſiæ ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum Octava, in ipſis Oratoriis ſimili modo celebranda erit ſaltem Miſſa, licet ob defectum Cleri Choro eorumdem adſcripti nequeat recitari Officium.

265. Nec diſſimilia dici volo de Oratoriis, aut Capellis privatis, Tempellis, & Eccleſiolis, quæ reperiuntur in prædiis Cleri Regularis, vel Secularis, quæque omnibus fidelibus indifferenter patent; ſcilicet pro iis applicari oportet quæcumque hactenus adduximus, ſive ſuppoſita, ſive non ſuppoſita Conſecratione hujuſmodi Oratoriorum; cum veniant nomine Eccleſiæ in materia favorabili, qualis eſt hæc de cultu Sanctorum.

CAP. XV.

De alienatione, & acquiſitione Oratoriorum.

266. EUm, qui alicujus Oratorii publici Jus patronatus habet, & vere ejuſdem eſt Patronus, non habere Oratorii ſui dominium, ſed tutelam; non poteſtatem diſponendi de eo, ut libuerit, ſed curam, ac ſollicitudinem; præcedenti Capite animadvertimus. Inde quoque ſequitur, Patronum nec vendere poſſe Oratorium ſuum; nec Jus patronatus, quo potitur. At non inficior, poſſe transferri Jus patronatus venditione rei, puta, hæreditatis, caſtri, &c. cui Jus patronatus cum Oratorio, veluti acceſſorium quidpiam, annectitur, *Cap. Cum ſeculum* 13. *junct. Gloſs. v. emptorum, & Cap. Ex litteris* 7. *h. t.* per ſe enim illud Jus non eſt temporale; ut male aliqui docent, quos refutat Schmalzgrueber *to.* 3. *tit.* 38. *pag.* 425. *& ſeq.* nec mere ſpirituale, ſed ſpirituali annexum.

267. Quapropter per ſe ac ſolitarie, nec vendi, nec emi ſine labe

be Simoniæ poteſt, ſicut probat Enricus Pirhing *tom.* 3. *tit.* 38. §. 4. *n.* 71. *pag.* 619, eſtque, ſi fiat, talis venditio ipſo jure irrita, ex *cap. de Jure* 16. *junct. Gloſs. ibid. v. irritam h. t.* & qui vendere illud tentant, ſubjiciuntur Excommunicationi, & Interdicto; & venditor eodem Jure patronatus ipſo jure privatur, ex Concilio Tridentino *Seſs.* 25. *cap.* 9. *de reformat.*, & Eccleſia, ſive Oratorium evadit liberum. Videndus etiam Nicolaus Garzia de *Benef. Eccleſ. tom.* 1. *p.* 5. *cap.* 9. *n.* 137., *& ſeqq.* Quomodo amittatur Jus patronatus, declarat Andreas Vallenſis *lib.* 3. *paratitl. tit.* 38. §. 7. *pag.* 363. *&c.* Maſchat. *p.* 2. *Inſtit. Canon. lib.* 3. *tit.* 38. *q.* 2. *n.* 9. *pag.* 295. monet in alienatione Juris patronatus cavendam Simoniam, qualis a nobis cenſetur in eo caſu, *quo v. gr. Caſtrum venderetur majoris ob annexum Jus patronatus habens commoda temporalia*; *nam commoda iſta fluunt ex ipſo Jure patronatus. Ergo ſicut Jus iſtud licite vendi non poteſt, ita nec commoda ei annexa.*

268. Hæc intellige, ſi Oratorium fuerit auctoritate Epiſcopi conſtructum; nam ſic remanet religioſum, & veluti ſpirituale; ideo nequit vendi per ſe loquendo, aut alienari; quia daretur pretium pro re, quæ ſpirituali æquivalet: quod eſt Simoniacum. At ſi fuerit Oratorium ſine Epiſcopi auctoritate conſtructum, per ſe vendi, & alienari poteſt; nam licet fabricatum fuerit, ut religioſis uſibus deſerviret, adhuc tamen profanum cenſetur, non accedente auctoritate Epiſcopi. Adeas Franciſcum a Moſtazo *l.* 5. *c.* 7. *n.* 50. 51. quando enim conſtruitur cum Epiſcopi auctoritate, tunc dicitur locus Eccleſiaſticus, & ſubeſt hoc caſu Epiſcopo, nec amplius poteſt (privata auctoritate) ad uſum profanum transferri; & ſecluſa auctoritate Epiſcopi, conſtruens Oratorium dicitur potius Dominus illius loci, vel Oratorii regens illud auctoritate propria; inquit Rochus de Curte *in Tract. de Jure patron. pag.* 64. *nu.* 28. *edit. an.* 1532.

269. Præter venditionem methodo prædicta factam, quæ eſt modus prior transferendi Jus patronatus, modus alter faciendæ ſimilis translationis eſt ſucceſſio hæreditaria, prout ex *Cap. Conſiderandum* 35. *Cauſ.* 16. *q.* 7. *C. Perlatum* 1. *& C. quoniam* 3. *h. t.* Ad hæredes, ſcilicet, Fundatorum quoſcumque tranſit Jus patronatus, niſi *Familiare* ſit,

ſit, aut aliquis eorum ſit hæres tantum in re aliqua certa; quia tranſit cum hæreditate. Succedens ergo in hæreditate, ſtatim Jus patronatus acquirit hæreditati conjunctum.

270. Quia vero Jus patronatus eſt Jus incorporale, ſimplex, adeoque indiviſibile quoad ſubſtantiam, ſicut ſervitutes *l. Viæ* 17. *ff. de ſervit.* idcirco hæredes inter ſe nequeunt Jus patronatus dividere quoad ſubſtantiam; ſed ſolum ratione temporis, puta, aut modi; ut uni, v. ca. competat adminiſtratio dotis, aliorumque ad Oratorium pertinentium; alteri jus vocandi, ſeu eligendi Sacerdotes ad celebrandum in eo; alteri demandetur cuſtodia, & clavis &c.

271. Poſſunt etiam convenire hæredes inter ſe, ut uno anno, vel dimidio Jus patronatus ſit penes alterum hæredem; & altero anno, vel dimidio penes alterum, ſicut ex *Clement. Plures* 2. *v. & ut facilius h. t.* poſſunt plures Patroni convenire, ut præſentent alternis vicibus, unus prima vice, qua Eccleſia aliqua vacat, alter ſecunda, tertius tertia; vel ut unus ex duobus præſentet menſibus paribus, alter imparibus; aut ut unus præſentationem, ſeu electionem faciat in una (ſi Eccleſiæ plures ſint) alter in alia: idque, prout in textu habetur, *ut facilius provideatur Eccleſiis*, diſcordiæque, quæ facile admodum oriuntur, evitentur. Quod ſi maneant hæredes in communione, apud quemlibet illorum in ſolidum Jus patronatus manet. Ad ſimilem normam diſponi poterit Jus, & exercitium patronatus in Oratorio publico, quod hæredibus competat.

272. Tertius idem Jus transferendi modus eſt donatio, ex *c. Illud* 8. *h. t. & c. un pr. eodem in 6.* quumque Legatum ſit quædam donatio a Teſtatore facta *pr. Inſt. de Legat.* transferri quoque poteſt per Legatum in Teſtamento relictum, non tamen *per ſe*, *ac ſolitarie*. Ex Caballutio enim in *Theor. & prax. lib.* 5. *c.* 3. *n.* 18. duo exiguntur, ut quis poſſit rem quamcumque donare; ut rei dominium habeat, & liberam adminiſtrationem; ut patet in Tutoribus, Curatoribus, Procuratoribus, qui licet adminiſtrationem nacti, donare nequeunt ea, quæ adminiſtrant, quia carent dominio; atque etiam in Pupillis, & Minoribus Curatores habentibus, & prodigis, qui licet ſint ſuarum rerum domini, ipſarumque proprietatem, & uſumfructum habeant, nil

de

de rebus ſuis donare valent, quarum adminiſtratione carent.

273. Porro nemo habet dominium Juris patronatus; nam nec Papa, nec inferiores Prælati, ex S. Thoma 2. 2. *q.* 100. *art.* 1. habent dominium rerum Eccleſiæ, ac multo minus Laici, aliique. Quamobrem cum nemo queat donare, niſi proprius dominus, *Capit. Abbati* 22. *diſt.* 55. *pag. mihi* 187. qui habet Jus patronatus, illud poterit alteri conferre, diſpenſare, aſſignare, non donare (ſi idem Jus præciſe, proprie, per ſe, ac ſolitarie conſideretur) ſicut nec a Prælatis Eccleſiæ donantur Beneficia, utpote quæ quidpiam ſpirituale. Spiritualium autem non domini, ſed adminiſtratores ſunt Prælati, poſt Papam, & Diſpenſatores, & Procuratores, *C. Fraternitatem* 2. *tit.* 24. *de donationibus pag.* 424., & notat Nicolaus Vigelius in *Methodo univerſ. Jur. Pontif. h. tit. pag.* 525. Ergo ſolum cum prædio, Villa, Caſtro, &c. poterit legari, vel donari Jus patronatus; non admiſſa doctrina Franciſci Schmalzgrueber, qui illud per *ſe ac ſolitarie* donari poſſe autumat.

274. Etiam permutatione transferri poteſt Jus patronatus, ex *Can. Nemini* 40. *Cauſ.* 16. *q.* 7. & quidem ſi fuerit *reale*, conjunctum Caſtro, Villæ, &c. acceſſorie, permutari poteſt cum re quacumque etiam temporali; dummodo ob Jus hujuſmodi non petatur aliquid plus, quam valeat id, cui eſt conjunctum; quod & in venditione cavendum eſt. Si fuerit *perſonale*, nequibit permutari pro re, vel Jure aliquo temporali (quid enim amplius ad apertam Simoniam requiretur?) ſed pro ſpirituali, aut etiam pro Jure alio patronatus; præmiſſo tamen Epiſcopi conſenſu, ſaltem ſi illud permutatione ad Laicalem deferatur perſonam.

275. Sunt quoque alii Jus patronatus alienandi, acquirendique modi, de quibus late Auctores Canoniſtæ; nobis præcipuos attigiſſe ſufficiat; utque ſuperius ſtabilita amplius confirmemus, ac declaremus, doctrinam, quam ex *S. Thoma* 2. 2. *q.* 100. *art.* 4. ſumit Joannes Cabaſſutius in *Theor., & prax. l.* 5. *c.* 3. *n.* 2. *pag.* 166. arripiamus, quæ quæcumque ſpiritualibus annexa ſunt, in duas claſſes partitur, & aliqua ponit annexa *antecedenter*, alia *conſequenter*. Priora ſunt, quæ cum natura ſuapte ſint materialia, præcedunt rem ſacram, ad quam referuntur; cujus generis habentur Calices, Altaria, ſacraque veſtimenta;

 quæ

quæ per ſe ac primario ſunt materialia ; ſed ſpiritualem recipiunt formam ex conſecratione, ſeu benedictione iis adjecta. Poſteriora, ſeu *conſequenter* connexa ſpiritualibus, ſunt Beneficia, quia hæc ſequuntur divina officia, pro quibus perſolvendis facta eſt Beneficiorum inſtitutio.

276. Itaque priora vendere nulla lex interdicit, dummodo in ipſis ſola æſtimetur materia, & artificium, vulgo *fattura*; nec computetur conſecratio, aut benedictio. His adjungitur Jus patronatus, proptereaquod antecedit nominationem, ſeu præſentationem ad Beneficia: quod quidem Jus vendi non poteſt per ſe, ſed transfertur in alios, dum venduntur bona temporalia, quibus illud annexum invenitur, *Cap. Cum ſeculum, & Cap. de Jure ſub tit. de Jur. patron.*

277. His cum Ferraris *in prompta Bibliotheca v. Simonia* adduntur Beneficiorum penſiones, redditus, primitiæ, decimæ, oblationes, ſeu Jura has percipiendi, labor actualis in adminiſtratione Sacramentorum, & celebratione Miſſarum, paramenta ſacra, Agnus Dei, & res aliæ omnes conſecratæ, ſeu benedictæ.

278. Hæc omnia ob connexionem cum conſecratione, ſeu benedictione, vel cum Beneficio, ſeu Officio, aut miniſterio ſpirituali, ſunt Simoniæ materia; propterea quatenus talia, vendi, emi, in commercium poni, prohibetur paſſim in Jure, docentque unanimi voce Auctores *in Cap. Si quis dator 2. C. Si quis Epiſcopus 3. C. Quæſitum 4. C. Si quis objecerit 7. C. Salvator 8. C. Ex multis 9. C. Res Eccleſiæ 12. C. Pervenit 13. C. Altare 14. C. Si quis præbendas 15. cauſ. 1. q. 3. &c. &c.*

279. Beneficia profecto vendi haudquaquam poſſe ſine Simonia colligitur ex *Cap. Si quis objecerit 1. q. 3. n. 7. pag. mihi 358. Si quis objecerit, non conſecrationes emi, ſed res ipſas, quæ ex conſecratione proveniunt, penitus deſipere probatur. Nam cum corporalis Eccleſia, aut Epiſcopus, aut Abbas, aut tale aliquid ſine rebus corporalibus in nullo proficiat, ſicut nec anima ſine corpore corporaliter vivit, quiſquis horum alterum vendit, ſine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit. Nullus igitur emat Eccleſiam, vel Præbendam, vel aliquid Eccleſiaſticum: nec paſtellum, nec paſtum antea, vel poſtea pro hujuſmodi ſolvat.* Hinc nec Oratorium ſuum publicum vendere ulli licet.

280. Præmemorato adnotante, præter alios, Cabaſſutio *Cap. 6. num.*

num. 7. *pag.* 176. ex dictis de venditione vaſorum, veſtium ſacrarum, Altarium, &c. non ſequitur, vendi poſſe Eccleſias, tametſi materiali eorum ſubſtantiæ ſuperaddita fuerit Conſecratio, vel Benedictio; nam de Eccleſiis ſpeciatim declaratur in Jure Canonico, eas nec vendi, nec redimi poſſe, nec emi, *Cap. Querelam* 15. *de Simonia pag. mihi* 612. Accedit, Calices, portatilia Altaria, Coronas, Imagines benedictas, cum annexa etiam Indulgentia, poſſe ſubeſſe dominio privatorum: ſed Eccleſiæ, Templaque dicata Deo publici ſunt juris, *Cap. Noverint* 10. *q.* 1. *& l. In tantum* §. *Sacra D. de rerum diviſ. & l. Ædes ſacræ D. de contrah. empt. & Inſtit. de rer. diviſ.* §. *Locus*, teſte eodem Cabaſſutio.

281. Pariter colligi ex his omnibus poteſt, recte animadvertiſſe Franciſcum a Moſtazo *tom.* 2. *l.* 5. *Cap.* 10. *n.* 25. *pag. edit. Venet.* 85. publica Oratoria gaudere privilegio, ne bona illorum abſque ſolemnitatibus Juris alienentur, ſicut & bona Eccleſiarum; cum illa ſint ædes auctoritate Epiſcopali erectæ, loca ſacra, religioſaque; ſimileque ideo privilegium habent; & privilegia omnia Eccleſiæ conceſſa cenſentur etiam conceſſa Oratorio publico, ut probat Joan. Bapt. Ventriglia *to.* 2. *Annotat.* 19. *n.* 15. *pag.* 200.

282. Non poſſumus tamen ſuperioris Auctoris probare opinionem in *lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 55. *pag.* 64. qua putat, quod ſi Capella fuerit Beneficium Eccleſiaſticum Juris patronatus per ſe independens ab aliqua univerſitate bonorum, nequibit illud Jus vendi, aut pretio alienari, ſpectato tantum Jure præſentandi, quatenus dat Jus ad Beneficium: ſed quoad alia Jura, veluti honoris ſedendi, & præcedendi, jus ſepulcri, vel alterius juris competentis poſſeſſori Capellæ, vendi poſſit, & alienari Jus patronatus, niſi fuerit vetitum a Fundatore. Ratio Auctoris eſt, quia illa Jura nec per ſe, nec per connexionem ſunt ſpiritualia: non per ſe, quia verſantur circa temporale commodum; non per connexionem, quia non dant Jus ad rem ſpiritualem: Et concludit propterea, poſſe vendi illa, vel pretio alienari. Hæc opinio per alteram nonnullorum roborari poſſet, qui vendi Jus patronatus poſſe, & conſequenter infeudari, emphyteuticari exiſtimant, hoc fundamento, quia illud non eſt Jus ſpirituale, ſed habet *temporalitatem*, ut

ut vocant, annexam, v. ca. honorificentiorem locum in Eccleſia, Jus alimentorum petendorum in inopia, cum aliis recenſitis privilegiis in ſuperiori Capite V., qui loquendi modus in præcedentem reapſe recidit.

283. Verum errant hi cum a Moſtazo quam maxime; quia hæc Beneficia, & quaſi fructus Juris patronatus, & commoditates, non conſtituunt rem, vel prædium, cui patronatus annectitur, majori valore, ac pretio dignum; quia non de ipſis qualitatibus, beneficiis, & quaſi fructibus, & commoditatibus per ſe; ſed de Jure ſpirituali, ex quo patronatus naſcitur, habenda eſt ratio. Unde cum hoc vendi nequaquam valeat, non reddit rem, cui annectitur Jus patronatus, majori pretio dignam; ex eodemque fundamento colligitur, nec infeudari illud poſſe, nec emphyteuticari. Et ne repetam manifeſtas Juris diſpoſitiones, & inconcuſſa principia hoc ipſo in Capite collecta, ſi ulla ratione liceret vendere Jus patronatus, non id vetuiſſet tam diſerte, & abſolute Tridentina *Synodus ſeſs. 25. cap. 9. de reform.* in hunc modum: *Nec dictum Jus patronatus venditionis, aut alio quocumque titulo in alios contra Canonicas Sanctiones* (quas partim nos attigimus) *tranſferre præſumant: ſi ſecus fecerint, excommunicationis, & interdicti pœnis ſubjiciantur, & dicto Jure patronatus ipſo jure privati exſiſtant.*

CAP. XVI.

De Regularium Oratoriis.

284. PRæter ſcopum evagari minime conſeo, ſi calamum convertero ad Regularium Oratoria, non tantum publica, ſed etiam privata; id enim argumento, & argumenti amplitudini conjunctum omnino eſt, & conſentaneum; & incidit modo occaſio publici juris faciendi etiam reſponſiones, quibus ſatisfeci Regularibus de hujuſmodi argumentis, & circa Oratoria Regularium, & juriſdictionem tam Parochorum, quam Epiſcoporum ſu-

per

per Oratoriis ejuſmodi, me conſulentibus. Atque ut ambiguitatibus dematur occaſio, ſciendum eſt, *anno* 1703. *die* 15. *Decembris* Clementem XI. S. P. Decreto, quod integrum refert Joannes Michael Cavalieri *tom.* 5. *pag.* 6. vetuiſſe Regularibus cujuſvis Ordinis celebrare in Oratoriis privatis Magnatum, ſeu aliarum nobilium perſonarum plures Miſſas, quam in ipſis celebrare ſit indultum; vel abſque præſentia perſonarum, quibus Oratoria per conceſſionem Apoſtolicæ Sedis fuerunt permiſſa; vel extra debitas horas; vel diebus Solemnitatum exceptis; & licentias, ſeu privilegia conceſſa nonnullis Regularibus in *Cap. In his de privil.*, & aliis Regularibus communicata utendi Altari portatili, in eoque celebrandi, abſque Ordinariorum licentia, omnino revocata eſſe per Concilium Tridentinum. In eodem Decreto alii reprimuntur abuſus Epiſcoporum, & Cardinalium.

285. Verum quoad Regulares pertinet, pro certo habemus, in præfato Decreto non comprehendi Eccleſias Regularium, aut horum Oratoria privata; ut monet idem Cavalieri *num.* 13. Generales enim, ac Provinciales facultatem habent erigendi ſuis in Conventibus, atque Collegiis privata Oratoria ad divinum cultum tantum deputata, abſque Epiſcopi, aut etiam Summi Pontificis licentia; & in ipſis unam, ac plures Miſſas celebrandi eadem die; ſive a Regularibus, ſive a Secularibus Sacerdotibus celebrentur; ratione privilegii localis, quo omnes Sacerdotes frui poſſunt; prout cum multis Auctoribus Roſignolus *de Euch. q.* 8. *art.* 14. *n.* 1. Diana *p.* 9. *tract.* 1. *reſol.* 32. *&* 33. Quarti *p.* 3. *titul.* 10. *dub.* 9. aliique paſſim ſentiunt. Ibidem adnotante Quarti privilegia Regularium inveniuntur apud Lezanam *tom.* 1. *q. Reg. cap.* 21. *n.* 14. *&* 15. Manuelem *tom.* 1. *q. Reg. q.* 43. *art.* 4. & Hieronymum Rodriguez *reſol.* 9. *n.* 4.

286. Plane Regularium privilegia revocata nequaquam fuiſſe creditur a Synodo Generali Tridentina *Seſs.* 22. in Decreto allato a nobis *Cap.* 1. *Num.* 8. quoad Oratoria privata; cum in Decreto *de obſerv. & evit. in celebr. Miſs. Seſs.* 22. rovocet dumtaxat privilegia Miſſæ celebrandæ in domibus privatis, ut ſæpe declaravit Sacra Congregatio, in *Florentina* 1. *Septembris* 1615. *& in Conibrien.* 1. *Julii* 1616. Sed vide *Num.* 296.

287.

287. Quin etiam in iiſdem privatis Religioſorum Oratoriis, ſeu Capellis omnes fideles Miſſam audientes diebus feſtivis ſatisfaciunt præcepto, eo quod gaudeant hæc Oratoria privilegiis, ac ſi eſſent publica, utpote dumtaxat ad divinum cultum deputata per ſe, & non tantum per accidens, hoc eſt, permanenter (juxta alibi dicta) & non ſolum tranſeunter: quod contingit, quando quis utitur Altari portatili, &c. & horum privilegium *locale* ſit, & non ſolum *perſonale*; unde illo frui poſſunt omnes Chriſtifideles. Ita Tamburinus *Opuſc. de Sacrif. lib.* 1. *cap.* 4. §. 3. *num.* 6. qui citat Azorium, Suarez, & Dianam &c. Hæc Cavalieri, quæ confirmantur a P. Lucio Ferraris *v. Oratorium*.

288. Prædicta confirmantur a Gregorio Roſignolo noſtro ibidem; in primis enim probat, in Oratoriis ſupradictis Regularium celebrare poſſe etiam Presbyteros Seculares, & ab ipſo laudantur pro eadem ſententia Garzias, Averſa, Lezana, Suarez, Card. de Lugo, Baſæus, Azorius, Fagundez, Marchinus, Reginaldus, Miranda, Tamburinus, Peirinus, *& alii*, inquit, *innumeri*.

289. Hoc expreſſe conceſſit Gregorius XIII. Societati J. per Breve, *Decet Romanum Pontificem*; & refertur in noſtris privilegiis *tit. Miſſa* §. 1. *pag.* 197. ubi & dicitur, poſſe celebrari, ultra Miſſam, alia divina Officia; & pariter indulſit Pius IV. Canonicis Regularibus S. Salvatoris Lateranenſis.

290. Nec dici poteſt, privilegiis his derogatum fuiſſe per Tridentinum, ut antea attigimus, & tradunt plures Auctores. Quinimo quantumvis per hoc Concilium fuiſſent revocata, fuerunt innovata per alia poſteriora privilegia Pii IV. & Gregorii XIII. iiſque utitur noſtra Congregatio (quæ particeps eſt privilegiorum omnium Societatis Jeſu, Theatinorum, Canonicorum Regularium Lateranenſium, Ciſtercienſium, Cluniacenſium, ac aliorum etiam Ordinum Mendicantium) & alii Ordines Mendicantes, & non Mendicantes per mutuam communicationem; & in his privilegiis expreſſe dicitur, *abſque alia Ordinarii licentia*. Videas Roſignolum, cujus Opera typis prodierunt Mediolani *an.* 1706. tribus ſcilicet annis poſt emiſſum a Clemente XI. Decretum præfatum, quod Roſignolo ignotum idcirco non fuiſſe arbitror; quamvis ab eo non memoratum, quia præfatæ doctrinæ non opponitur.

291. Proſequitur *num.* 14. P. Cavalieri, de ruralibus Religioſorum domibus ſubjungens: *Si ſermo ſit de ruralibus domibus, an in ipſis Regulares erigere poſſint privata Oratoria; nos profecto affirmativam tuemur ſententiam cum Lezana, Rodriguez, aliiſque non paucis Auctoribus, inter quos doctiſſimus Pater Roſignolus loc. cit. n.* 4. *& ſeq. ubi oſtendit, ab Epiſcopis in hoc non poſſe Regulares impediri, & concludit inſuper, quod etiam in his Oratoriis omnes fideles Miſſam audiendo diebus feſtivis præcepto dubio procul ſatisfaciunt*. Ergo Roſignolus diſputans de præfatis Regularium privilegiis, quædam adducit ſatis firma argumenta, ut evincat, illa non coarctari ad Capellas intra ſepta Monaſteriorum, Conventuum, & Collegiorum a Generalibus, vel Provincialibus, ut ſupra, deputandas; verum etiam extendi ad erigendas, vel deputandas extra Clauſtra in Grangiis, domibuſque ruralibus, utilitatis, & recreationis cauſſa adeptis; enumeratis etiam pro ſe Auctoribus, qui ſunt Lezana, Rodriguez, Laurentius de Peirinis, Joannes della Crux, Leo, Henriquez, Quintanaduenas, Garzias, Pellizarius, Diana, Aloyſius de Sancto Joanne, Miranda.

Hodie Generales, & Provinciales Regularium in ſuis Conventibus, & Collegiis erigere poſſe privata Oratoria, dummodo ad divinum cultum tantum ſint deputata, & in ipſis abſque ulla Epiſcopi, vel Summi Pontificis facultate poſſe celebrari plures Miſſas, & a Regularibus, & a Secularibus Presbyteris; & hoc privilegium eſſe non ſolum perſonale, ſed etiam locale: nec quoad hæc Oratoria fuiſſe revocata privilegia Tridentini, & omnes audientes ibidem Miſſas ſatisfacere præcepto audiendi Sacrum diebus feſtis, probatur diſerte in *Bibliotheca Ferraris editionis Romanæ anni* 1760. adornatæ præclaris additionibus *v. Oratorium pag.* 361. Additur Quarti *Comment. in Rubr. p.* 3. *ſect.* 1. *tit.* 10. *pag.* 387.

292. In Decreto præmemorato *Seſs.* 22. Concilii Tridentini non comprehenduntur Loca Pia, multo minus vero Monaſteria, quæ proprie ſunt *Domus religioſæ*, a privatis domibus admodum diverſæ: quamquam comprehendantur Magni Principes, qui ad Apoſtolicam Sedem confugiunt pro erectione Oratoriorum domeſticorum in ſuis Palatiis, ac Domibus in ipſorum Ditionibus ſitis; licet non comprehendantur Ca-

R pel-

pellæ in propriis Aulis exſiſtentes, in quibus ſolemniter divina Officia obeunt Capellani ad illarum cultum ſpeciatim deputati; & quæ ſunt inſtar Palatinæ Eccleſiæ Parochialis extructæ.

293. Inde univerſim viget praxis priſtina celebrandi Miſſas in privatis Capellis omnium Monaſteriorum, Conventuum, atque Collegiorum Ordinum Regularium; eæque ipſæ Capellæ pro actione Miſſæ multiplicantur in domibus Religioſorum. Atque hac de cauſſa tot etiam conſpiciuntur privata Oratoria, ſeu Capellæ in Regularium Monaſteriis, & Collegiis erectæ, ubi diebus feſtivis vel Adoleſcentes, qui Scholas frequentant ſtudiorum cauſſa; vel alii pii fideles congregantur ad Miſſæ Sacrificium audiendum, & alia divina Officia peragenda, uti ſunt Pænitentiæ, & Euchariſtiæ perceptio, pia exercitia, &c. Vid. Caput XVII.

294. Neque ullum unquam Romani Pontifices, vel Sacræ Congregationes ediderunt Decretum ad abolendam pervulgatiſſimam conſuetudinem erigendi Oratoria privata in Religioſorum domibus. Immo potius ſacras Indulgentias diſpenſarunt Summi Pontifices adſtantibus Miſſæ, recipientibus Sacramenta Eccleſiæ, frequentantibus Congregationes, ſeu Sodalitia erecta in iiſdem Oratoriis, uti præter alios Prædeceſſores ſuos fel. rec. BENEDICTUS XIV. P. M. large nobiſcum egit, & cum Adoleſcentibus (& aliis fidelibus) qui Oratoria privata a nobis erecta diebus feſtis conveniunt; ceteris vero diebus ad Scholas noſtras publicas ſcientiarum, vel humanarum litterarum addiſcendarum cauſſa accedunt.

295. Quare Regulares erigere poſſunt in ſuis Conventibus, & Collegiis privata Oratoria ad divinum cultum tantum deputata, abſque Epiſcopi, aut etiam Summi Pontificis licentia; in ipſiſque unam, ac plures Miſſas celebrare eodem die, ex privilegio *locali*, cujus omnes Sacerdotes, etiam Seculares, poſſunt eſſe participes in iiſdem Oratoriis Regularium domeſticis celebrando, ut docet cum citatis aliis pluribus Cavalieri *tom.* 5. *pag.* 6. Ulterius in ſupradictis privatis, ſeu domeſticis Regularium Oratoriis, ſeu Capellis omnes, qui Miſſam audiunt diebus feſtivis, ſine exceptione, ſatisfaciunt præcepto Eccleſiæ; cum Oratoria, aut Capellæ iſtæ privilegiis gaudeant, non minus, quam ſi publicæ eſſent.

ſent . Demum etiam in domibus ruralibus poſſunt Regulares erigere ſimilis naturæ Oratoria ; atque in his etiam fidelis quilibet Miſſam audiens in Feſto , præcepto Eccleſiæ ſatisfacit .

296. Ante Concilii Tridentini celebrationem Regulares pene omnes quum vel ex conceſſionibus Summorum Pontificum , vel ex indulgentia , aut tolerantia Epiſcoporum , ad libitum in propriis domibus privata illa Oratoria erigerent; Concilium tamen illud Oratoria viſitationi , & deſignationi Ordinariorum in allato Decreto *Seſs.* 22. ſubjecit ; ſicque coarctavit nonnihil (ex dictis , docent alii oppoſitum) vetuſtam Religioſorum poteſtatem , ut conſuleretur magis Sacrificii reverentiæ : adeoque in hac parte antiqua privilegia Regularibus conceſſa a Concilio abolita fuiſſe , quiſquam credit ; ita ut qui nova iterum privilegia a Pontificibus Romanis nequaquam impetraverunt , teneantur petere facultatem Epiſcoporum , ut valeant licite Miſſam celebrare in Oratoriis privatis , ſeu domeſticis Monaſteriorum : quam facultatem quandoque aliquibus Regularibus impertivit Eminentiſſimus Urbis Vicarius .

In graviſſimam de hac re , abrogatione ſcilicet privilegiorum , & conſuetudinum Regularium , ibunt ſuſpicionem , qui corticem viderint Tridentini Concilii verborum ſequentium , quæ habentur in ſuperius memorato Decreto *Seſs.* 22. ubi hæc ad Ordinarios locorum Epiſcopos : *Neminem præterea , qui publice . . . neve patiantur privatis in domibus , atque omnino extra Eccleſiam , & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria , ab eiſdem Ordinariis deſignanda , & viſitanda , ſanctum hoc Sacrificium a Secularibus , aut Regularibus quibuſcumque peragi* . Non recedam in hac re a Doctorum multitudine , qui opinantur , intacta hac in parte a Tridentino relicta fuiſſe privilegia Regularium . Nec inficiandum , non parum deferendum graviſſimis iis Doctoribus , quos ſupra retulimus , quique intacta præfata privilegia manſiſſe putant poſt Concilium Tridentinum . Fundamenta colliges ex dicendis firma , ut puto .

297. Ambroſius Avignonus in Manuali Ciſtercienſium Italiæ Abbatum *edit. Mediol. an.* 1755. *v. Oratoria privata pag.* 123. notat, per Decretum illud Tridentini autumare Fagnanum *Cap. In his de privil.* ſublata ex integro eſſe antiqua Regularium privilegia .

Auguſtinus Matthæucci *Official. Cur. Ec. cap.* 10. *n.* 81. *pag.* 74. notat, quæ ibidem Fagnanus refert, quod Sacra Congregatio olim reſpondit, *Oratoria exſiſtentia in Monaſteriis, vel Hoſpitalibus Ordinaria, vel Apoſtolica auctoritate fundatis, non comprehendi in prohibitione Concilii verſ. Neve patiantur. Propterea paſſim videntur hæc Oratoria erecta in Infirmariis, vel aliis locis Monaſteriorum, quin præiverit Ordinariorum conſenſus, & viſitatio. Siquidem de illis non verificatur, quod ſint omnino extra Eccleſiam; cum appellatione Eccleſiæ aliquando veniant Religioſorum Conventus, ut colligitur ex cap. Alma mater de ſent. excomm. in 6. cum ſua Gloſs. in verb. Monaſteriis & c. Abbatis §. Hac autem* 54. *diſt. Minuſque, quod ſint in ædibus privatis, cum ſint in loco religioſo. Et facilius hìc per Petram num.* 47. *intrat communicatio privilegiorum: præſumiturque veriſimilis voluntas Pontificis concedentis; maxime quia ex communi uſu, & praxi, ut dictum eſt, ſimilia Oratoria fixa videntur in Clauſtris, & Infirmariis erecta. Et inde videtur mens Sanctæ Sedis eſſe, ut in caſu Indultum per communicationem participetur.*

298. Societati Jeſu erigendi Oratoria in Domibus propriis poteſtatem fecit Gregorius P. XIII. per Conſtit. quæ incipit, *Decet Romanum Pontificem die* 3. *Maii an.* 1575. in hæc verba: *Volumus, ut in Oratoriis, & Capellis, quæ ipſius Societatis Provinciales per ſe in Domibus, Collegiis, & aliis Locis, ubi aliqui Societatis reſidebunt, approbaverint, & ad divinum dumtaxat cultum deputaverint, Miſſæ, & alia divina Officia, alterius licentia minime requiſita, celebrari poſſint.* Amplum ſane privilegium, cum in eo Gregorius nec Capellarum numerum definiat, nec certas Domos Religioſas; ſed facultatem extendat ad omnia Loca, ubi reſident aliqui de Societate; ac præterea ſicut non definit numerum Religioſorum reſidentium; ita nec tempus reſidentiæ determinat; ut merito cenſeatur, attento rigore verborum, ſatis eſſe, ut pro aliquo tempore in eo Loco aliqui reſidere ſoleant, dummodo Locus hujuſmodi addictus ſit reſidentiæ Patrum Societatis. Meminit ejuſdem privilegii Antonius de Quintanaduenas *ſingul. Tract.* 5. *ſing.* 18. *pag.* 191. *edit. an.* 1652. & Laurentius de Nicollis *tom.* 2. *tit. de religioſis domibus pag.* 533. & alii apud illum.

299. Quotquot ergo ſunt, qui communicant cum privilegiis Societa-

cietatis, de hoc Gregoriano privilegio participant; quemadmodum appoſite docent Auctores allegati a Gattico *Cap.* 18. *n.* 3. Scilicet Tamburini duo, Thomas, & Aſcanius, Cardinalis Petra, aliique multi a Paſqualigo recenſiti *q.* 484. *n.* 4. atque in praxi omnes Regulares, qui Societatis privilegiorum participes ſunt effecti, hoc privilegio in domibus propriæ reſidentiæ utuntur.

300. Erigi ergo tuto poſſunt Oratoria, præmiſſa Provincialis, vel alterius, qui licet alio nomine vocetur, fungitur tamen muneribus, & officiis Provincialis, approbatione; non excluſo tamen Generali Rectore Ordinis, eo quod quæcunque poteſt Provincialis ex proprio munere in unaquaque Provincia, poteſt Generalis in univerſo Ordine ſuo; nam ideo Summus Pontifex Gregorius ſolius Provincialis fecit mentionem, ut protenderet facultatem ad Provincialem, utpote illum, quem facilius adire queunt Regulares, quam Generalem Ordinis Superiorem.

301. Semel per Provincialem in Domibus Religioſorum quoad privilegiatos, vel per Ordinarium loci Epiſcopum quoad reliquos, probatis Oratoriis privatis; hæc non debent amplius in profanos uſus mutari, ſeu converti; propterea quod ſunt ad divinum dumtaxat cultum deputata; niſi aliter judicet, qui ea probavit; cum ab ejus pendeat judicio, & arbitrio deſtructio Oratorii, ſeu Eccleſiæ, ad cujus poteſtatem attinet erigere Oratorium, ſeu Eccleſiam in Dei cultum: neque loca ita erecta Regularis vel privatus, vel inferioris gradus, quam ſit Provincialis, immutare poteſt. Etenim quod juſſit Urbanus Papa IV. de Religioſis Domibus, quod nempe *non debent mundanis uſibus deputari*, ut legitur *in* 3. *Decret. cap. Ad hæc* 4. *tit. de relig. dom.* 36. *pag.* 487. Oratoriis quoque applicari poteſt. Quin etiam nec a Superiore legitimo Oratoria Domorum Religioſarum ſine gravi cauſſa deſtrui unquam debent, in aliumve uſum transferri; cum divinis tantum honoribus ſint deſtinata.

302. Ex hac ipſa ratione, quia videlicet Oratoria illa evaſerunt loca divino Miſſæ Sacrificio idonea permanenter, idonea cenſentur pro omnibus Sacerdotibus etiam extraneis, etiam Secularibus, nulla facta quoad Sacerdotes exceptione; ſicuti nulla fit exceptio quoad dies feſtos,

ſtos, quoad numerum Miſſarum, quoad adſtantes ad audiendam Miſſam in diebus feſtivis, juxta præmiſſa a nobis *Num.* 285. 286. 287. quippe reſtrictiones hujuſmodi appoſitæ leguntur de more Oratoriis domeſticis, ſeu privatis privatarum domorum Laicorum, ubi minorem beneficii largitatem indulgent Romani Pontifices; non vero Oratoriis Regularium privatis, aut Locorum Piorum, vel Hoſpitalium, aut Seminariorum, ulla legitur adjecta limitatio vel perſonarum, vel dierum. Quæ omnia & praxi, & conſenſu fere communi Scriptorum firmantur, & recenti Conſtitutione Clementis XII. S. P. ad Carthuſianos 9. *Auguſti* 1737.

303. Perdoctus Cardinalis Petra *Comment. ad Conſtit. Apoſt. tom.* 1. *circa Conſtit.* 8. *Honorii III.* §. 45. penes cit. Cl. Abbatem Ambroſium Avignonum, non dubitat, quin in Sacriſtiis & Choro, quæ partes ſunt Eccleſiæ, poſſint Regulares celebrare; cum Concilium Tridentinum vocibus illis utatur, *omnino extra Eccleſiam* in Decreto antea pluries laudato *Seſs.* 22., qualia dici nequeunt illa loca. In reliquis vero Conventus partibus ſentit, quod poſſit Epiſcopus concedere licentiam, ut extruantur Oratoria; quia hæc nunquam poſſunt dici in ædibus privatis, ſed potius ad publicum cultum dedicata, præſertim ſi habeant publicitatis ſigna, de quibus propria in ſede diſputatum eſt.

Id confirmari poteſt, propterea quod Regularium Cænobia non ſunt domus privatæ, ſed loca religioſa, & *Eccleſiarum* etiam nomine aliquando donata, ex dictis; etenim ſcribit Remigius Maſchat. *p.* 2. *Inſtitut. Canonic. lib.* 3. *tit.* 36. *de relig. domib. &c. num.* 1. *pag.* 238. *In Jure Canonico locus ille ſolum dicitur religioſus, qui auctoritate Epiſcopi ſpecialiter deputatus eſt ad cultum divinum, & opera pietatis, ut ſunt Eccleſiæ, ſeu templa, quæ a conſecratione dicuntur domus ſacræ: item* Mo*naſteria, Xenodochia pro peregrinis, Noſocomia pro infirmis, & alia quæcumque loca auctoritate Ordinarii erecta, & deputata ad opera miſericordiæ, & pietatis.*

Publica Oratoria non inhibentur Regularibus; eaque, dum habeant requiſita Eccleſiæ, ſeparataque ſint a Clauſtris, & campeſtria, viſitari ab Epiſcopo poſſunt, juxta Sac. Cong. Conc. in *Cortonen.* 19. *Aprilis* 1697. & 23. *Sept. in Ceſenaten.* 1690. penes de Nicollis in *Praxi*

xi Canon. tom. 2. §. 1. *de Capellis , & Oratoriis pag.* 541. ubi affirmat, id eſſe conforme doctrinæ Fagnani in *cap. Dilectus n.* 43., & 46. *h. t.* Sed lege Cap. XVII.

Pignatellus *tom.* 10. *Conſ.* 84. ait, quod ſi Regularibus in Civitatibus, Oppidis, aliiſve locis concedatur Hoſpitium , habere non poteſt Eccleſiam, ſed Oratorium privatum ſine Campana; nec ibi miniſtrari poſſint Sacramenta, nec continua ſit Religioſorum permanſio, niſi infirmorum , & ſervientium; nec ſepultura , niſi ſpecialiter concedatur; idque ſæpius declaratum fuiſſe per Sac. Congreg. ſuper Epiſcopis , & Regul.

CAP. XVII.

Quædam notationes in Gregorianum de Oratoriis privilegium.

304. PRæſtat mentem , ſenſumque Gregorii XIII. in adducto præcedenti Capite privilegio declarare, nonnullis adjectis notationibus; ut quæ facultates per illud tribuantur Regularibus tam præclari privilegii participatione gaudentibus , probe dignoſcamus . Ac primo obſervatione digniſſimum exhibetur in Gregoriano privilegio Apoſtolico, ut ne dum actionem Miſſæ permiſſam intelligamus ab Apoſtolica Sede in Oratoriis privatis a Provinciali approbatis, ſed etiam *alia divina Officia*, ad quæ ſane non protenduntur Oratoria Laicorum , ſpectata communiori conſuetudine, quamquam de jure non prohibeantur. Idcirco in illis peragi poſſunt ſacræ quædam functiones , vi privilegii Apoſtolici, ſaltem quæ non præſeferunt ſolemnitatis ſplendorem, & ad quas agendas non video, non extendi privilegia Regularium. Quare, mea ſententia, ſolemnitates celebrari poſſunt, uti eſt Miſſa ne dum cantata, ſed ſolemnis; atque egomet in privatis Oratoriis Regularium Miſſam decantari ſolemnem , non ſemel obſervavi.

305. Certe inter alia, quæ tuto in iiſdem peragi poſſunt Orato-

ratoriis, eſt Communio fidelium adſtantium Sacrificio, ut hodie, & quamplurimis ab hinc annis in more poſitum eſt in noſtris Oratoriis Congregationum Diſcipulorum, aliorumque Laicorum, qui & Euchariſticam Communionem recipere tenentur diebus feſtivis Oratoria adeuntes; quoniam cum ſæpe per Pontifices Romanos Regularibus facta fuerit poteſtas diſtribuendi fidelibus ad ipſos accedentibus Euchariſtiam ſacram, ſecluſo die Paſchatis, & non petita ab Epiſcopis, aut Parochis facultate; manifeſtum fit, minime prohiberi Regulares, ne in Oratoriis propriis Euchariſtiam diſpenſare poſſint, non ſolum aliis ejuſdem, vel alterius Inſtituti Religioſis, ſed etiam Laicis, qui Miſſæ ibidem interfuerint.

306. An autem in iiſdem privatis Oratoriis Regularium valeat Euchariſtia ſacra ſervari, ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ privilegio, merito dubitatur: nec niſi rariſſimas eſſe poſſe cauſſas exiſtimat Gattico *num. 9.* 10. *loc. cit.* ob quas ſpecialis iſta prærogativa impetrari queat; & graviſſimis tantummodo ex cauſſis conſervari poſſe Euchariſtiam in privato Oratorio Regularium, ſi pro iſtis ab Apoſtolica Sede ad id faciendum nulla ſpecialis facultas tradita fuerit; præſertim quum multa privilegia iiſdem Regularibus conceſſa, circa Sacroſanctæ Euchariſtiæ conſervationem, ac plurimæ declarationes Sacræ Congregationis hoc fine editæ reſpiciant præcipue Eccleſias Regularium, non Oratoria privata eorum. In Grangiis, ſive domibus ruralibus Regularium, abſque diſpenſatione Apoſtolica, ſervari haud poſſe Euchariſtiam, deducit Schmalzgrueber *tit.* 44. *n.* 20. *pag.* 511. *to.* 3. *ex Ulyſſiponenſ.* 3. *Septemb.* 1707.

307. Ex jam præfixis principiis oritur quoque, ut in Regularium Hoſpitiis erigi queant privata Oratoria ad celebrandum Sacrificium Miſſæ; nam licet in iiſdem non integre perſolvantur exercitia Regularis Diſciplinæ; nec valeant ſplendidius celebrari divina Officia; attamen etiam Hoſpitia ſunt loca habitationi Regularium deputata, ac cenſentur veluti parva Monaſteria, & Conventus.

308. His videntur eſſe fere ſimiles Grangiæ Regularium, de qui-

quibus egregiam Diſſertationem confecit Proſper Fagnanus ſeparatim editam, atque etiam ſimul cum Commentariis ejuſdem ad Libros Decretalium ad *Caput Auctoritate lib.* 3. *Decretal. tit. de cenſibus tom.* 3. in eaque diſceptatione *num.* 2. *pag. mihi* 556. duplex ipſe genus Grangiarum ſtatuit ad Monaſteria pertinentium; nam quædam ſunt *proprie*, *ac ſtricte ſumptæ*; & ſunt domus rurales, ac Monaſteriorum prædia, in quibus tantum aliquis Converſus, vel Sacerdos degit, ad rem æconomicam procurandam. Aliæ vero *improprie* nuncupantur *Grangiarum* nomine; quum melius vocandæ forent *parva Monaſteria*, *ſive Conventus*; atque in his ſemper aliqui Sacerdotes reſident, eæque veluti membra alterius Monaſterii habentur, hujuſque generis Monaſteriola in Oppidis, ac Villis extructa, ab aliis Monaſteriis majoribus dependent. *Grangias* vocavit Monaſteriola eadem Innocentius X. Conſtit. edita idibus Octobris *an.* 1652. quæ incipit *Inſtaurandæ*, & integra ea refertur a Fagnano in eadem diſceptatione; quamvis has Grangias ſecerneret ab aliis, quarum mentio eſt in Jure, ſcilicet *Cap. ult. tit. de Cenſibus*, *& Cap. Patentibus tit. de privil.*

309. Poſſe extrui Oratoria privata in poſtremis illis Grangiis, quas etiam *Monaſteriola* vocavimus, ambigit nemo, qui hactenus probata reſpicit. Ergo dubitatur de prioribus, quæ *proprie ac ſtricte* appellantur Grangiæ, quæque obſervante Paſſarino *tom.* 3. *de Statu hominis quæſ.* 189. *ar.* 10. *n.* 984. aliiſque multis, confundi poſſunt cum aliis Regularium domibus ruralibus, ad quas ipſi ſolent ſe conferrè certo anni tempore recreationis, atque valetudinis cauſſa. Regulares in ſuis Granciis Oratoria privata non habere, nec celebrare poſſe ibidem, declaravit Sac. Congr. Concil. 1. *Martii* 1685. teſte Monacello *p.* 2. *tit* 13. *pag.* 38.

310. At omnes communiter etiam ætatis noſtræ Scriptores, ſi unum, vel alterum excipias, docent ſine controverſia, in *Grangiis proprie dictis*, domibuſque ruralibus extrui poſſe privata Oratoria, in iiſque celebrari; atque apud Regulares conſuetudo quoque obtinuit, ut in prædictis domibus Oratoria habeant pro actione Miſſæ; Epiſcopis nullatenus in hac parte refragantibus. Scriptores re-

 cenſet

cenſet Fagnanus in eadem Diſſertatione de Grangiis, Paſſarinus ut ſupra, Paſqualigus *quæſt.* 488. 491. A Moſtazo *tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 11. Rotarius noſter *tom.* 3. *Theologiæ Regularium lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 7. *&* 8. *puncto* 12.

Fundamentum autem non videtur ſatis firmum, quod Scriptores petunt ex privilegiis Regularium impetratis a Romanis Pontificibus ante celebrationem Concilii Tridentini. Etenim non nemini videtur, ſanctione illius abolita in hac parte fuiſſe Regularium privilegia; unde Matthæucci præcedenti Cap. laudatus *num.* 83. ait, in Granciarum privatis Oratoriis, licet juxta Jus antiquum ante Concilium Tridentinum in *c. Auctoritate de cenſibus*, poſſet de licentia Epiſcopi celebrari, poſt illud tamen prohibitum intelligitur. Hinc Sacr. Congr. Conc. ſub *die* 1. *Maii* 1687. ad dubium, *An Sacerdos Regularis abſque peculiari Sedis Apoſtolicæ indulto poſſit in domo rurali Monaſterii celebrare*: reſpondit: *Negative. Allegat. Petra num.* 53. Ita ille. Circa Grangias ſeu circa Oratoria privata in Grangiis, & domibus ruralibus utilitatis, & recreationis cauſſa acquiſitis erigenda, & ſatisfactionem Miſſæ in Feſtis audiendæ, negativæ adſtipulatur ſententiæ Cardinalis Petra, qui & monet, in hac materia reſpicienda eſſe attente verba privilegiorum, an etiam ſe extendant ad parvas domos recreationis, *tom.* 2. *Comment. ad Conſtit.* 8. *Honorii III. n.* 53. Sed privilegium Gregorianum antea deſcriptum, utique ampliſſimum, Societati collatum, cujus favore gaudent quicunque habent privilegium communicationis cum Societate Jeſu, ejuſque privilegiis, inconcuſſum judico fundamentum.

311. Profecto enim verba illa notabiliſſima, *ubi aliqui Societatis reſidebunt*, complectuntur ex obvio, ac grammaticali ſenſu, omnia loca, quæ reſidentiæ aliquorum Religioſorum ſint deputata; quantumvis nec per totum anni ſpatium, nec per majorem anni partem ſoleant iidem ibi reſidere, & commorari. Quin etiam cum adjiciatur extenſio ad *Domos*, *Collegia*, *&* *alia loca*, extenditur facultas ad Hoſpitia, & ad ceteras domos ejuſdem Societatis, in quibus Religioſi non ſemper reſidere, ac morari ſolent; ſed dumtaxat ad aliquod anni tempus.

312. Immo, ſicut obſervat e præclaris Scriptoribus non nemo, privilegii ex ſcopo clare deprehenditur, extendi privilegium Gregorianum etiam ad domos recreationis; cum Oratorium domeſticum ſit multo magis neceſſarium in domibus recreationis ad abſolvendum Sacrificium Miſſæ; cum eæ non ſoleant habere Oratorium publicum, & crebro etiam diſtent ab Eccleſiis publicis; & aliunde pro aliquo anni tempore vere reſident ibi aliqui Religioſi. Quare non ſolæ Grangiæ proprie dictæ, ſed etiam domus recreationis cauſſa deputatæ pro Religioſis, includuntur in privilegio Gregorii, & in utriſque domeſticum extrui poteſt Oratorium, in eoque res divina fieri, cui in eodem Sacello qui interfuerint, ſatisfaciunt mandato Miſſæ diei feſti.

313. Quæri poteſt, an Oratoria domeſtica Grangiarum immunitate gaudeant: qua de quæſtione pertractant Rodriguez, Paſſerinus, Diana *tom.* 4. *Tract.* 2. *reſol.* 13. Affirmantem partem circa Oratoria iſta Grangiarum, & domorum prædiorum ruralium tenet Roſignolus ex noſtratibus *num.* 8. *pag.* 248. ac pro ſe laudat Rodriguez, Dianam, Garziam, Bordonum, Henriquez; & *artic.* 15. *num.* 12. etiam Peregrinum, *& alii plures*, inquit.

314. Videndus etiam Diana *tom.* 4. *reſol.* 12. *pag. mihi* 26. ubi laudatur Pellizarius docens in *Man. Reg. tom.* 2. *tract.* 8. *c.* 5. *ſect.* 2. Ordinarium non habere jus viſitandi Oratoria Regularium ruri conſtructa, etſi Campanam habeant pendentem e turri; quamquam poſſit Ordinarius viſitare Oratoria, in quibus Miſſæ celebrantur, modo ſint extra Clauſtra ex Congreg. Concilii *in Peruſina*, *& Novarien. an.* 1616. 6. *Febr.* apud Pittonium in Conſtitutionibus ad Epiſcopos, & Abbates ſpectantibus ſub *num.* 676. & *num.* 1536. legitur apud eundem, quod poſita Conſtitutione Innocentiana, quæ incipit *Inſtaurandæ* edita *an.* 1652. 15. *Octobris*; nec non illius Decreto incipiente, *Ut in parvis* 1654. 10. *Febr.* Grangiæ ſuppreſſæ, & ad ſtatum ſecularem redactæ, illarumque Eccleſiæ, & publica Oratoria poſſunt ab Ordinario viſitari; dummodo in iis Grangiis, quarum proprietas fuit reſervata, vel reſtituta principalibus Monaſteriis, idem Ordinarius nullo modo ſe ingerat in temporalibus.

315. Ita ex Congreg. Epiſcopor., & Regular. *an.* 1670. 11. *Septemb.* Et *num. ſeq.* ex iiſdem anno, die, Congregatione, refert Pittonus Decretum aliud, ſcilicet, quoad Eccleſias, & Oratoria publica jus viſitandi competere Ordinario privative: quoad Converſos autem in eis degentes cumulative, Ordinario ſcilicet Jure delegato ad formam Sacri Concilii Tridentini; Regularibus vero Jure ordinario.

316. Ex Congregatione Concilii *an.* 1697. 19. *April.* apud præfatum Collectorem, Pittonum dico, *num.* 1989. Oratoria publica, quæ habent requiſita Eccleſiæ, viſitantur ab Epiſcopo, etiam ſi ſint de pertinentiis Regularium; dummodo ſeparata ſint a Clauſtris, & campeſtria. In Hiſpania præcipue, ex longa conſuetudine, Grangiæ immunitatem conſervant.

317. *Prædicta Oratoria, quæ in privatorum domibus, vel etiam in Grangiis Regularium ſunt, non gaudent jure aſyli, neque immunitate Eccleſiaſtica, quæ competit tantum loco ſacro, & religioſo Epiſcopi auctoritate erecto, nec poſſunt ab Epiſcopo viſitari, neque ab eis procurationem exigere. Cum enim non ſint loca ſacra, & religioſa, imo nec pia, ut cenſuit Fagnanus in Opuſculo de Grangiis n.* 2. *&* 9. *jam non videtur ex quo capite Epiſcoporum viſitationi ſubjaceant.* Ita Card. Petra *Comment. ad Conſtit. Apoſt. tom.* 1. *circa Conſtit.* 8. *Honorii III.* §. 57. *&* 58. apud Cl. Abbatem Ambroſium Avignonum in Manuali Ciſtercienſium Italiæ Abbatum *v. Oratoria privata.* Avignonus refert iiſdem verbis Decretum, ſeu reſolutionem Sacræ Congregationis Concilii ante adductam congruo loco a nobis in *Cortonen.* & ſubdit, dignoſci eſſe publica Oratoria, *ſi portam omnibus patentem in via publica habeant*: quod noſtris cohæret notionibus in Cap. I. & II. præmiſſis.

318. Circa Oratoria publica notat Avignonus *ſub hoc titulo pag.* 121. quod Decretalis Alexandri IV. præſcribens, *ne exempti Oratoria, vel Capellas in locis non exemptis, ſine licentia Diœceſanorum locorum conſtruere præſumant*, non comprehendit Ciſtercienſes; ac inſuper quod ſimile privilegium, ac a Gregorio conceſſum Jeſuitis circa Oratoria ruris &c. Alexander VI. *an.* 1498. Ciſtercienſibus Abbatibus in Regnis Caſtellæ dedit.

319. Apud Ferraris *v. Regulares*, inter alias reſolutiones Sacræ Congregationis ſpecialiter deputatæ in *Cauſa Angelopolitana Juriſdictionis* vertente inter Epiſcopum, & Patres Jeſuitas, confirmatas ab Innocentio X. *Conſtit.* 29. incip. *Cum ſicut accepimus*, hæc legitur: An prædia, metallorum fodinæ, ſacchari opificinæ a Regularibus Societatis, vel aliis poſſeſſa, vel aliæ domus ſeculares, in quibus videlicet unus, vel duo Regulares tantum commorantur, gaudeant privilegio Collegiorum, ſeu Conventuum? Reſpondit, non gaudere.

320. Fagnanus loco alibi citato *num.* 11. circa Grangiarum immunitatem, negantem ſequitur partem; ac docet privata Oratoria Grangiarum non eſſe Eccleſias, nec loca Sacra, religioſa, aut pia, ipſaſque Grangias *eſſe loca mere temporalia, & profana, nihil ſpiritualitatis habentia*.

Ex his omnibus plura reſolvi poſſunt, quæ attinent ad loca a Religioſis pro aliquo tempore habitata, eorumque annexa Oratoria, & res poſſeſſas, quoties de immuntate redit ſermo.

321. Ut ad privilegium Gregorianum revertamur, ſi ſiſtatur in obſervatis jam ſupra a nobis, quia nil præfixit Gregorius de numero Miſſarum, de conditione Sacerdotum, de aſtantibus, de diebus Feſtis; ideo privilegiati Regulares in domibus ruralibus, Grangiis, Hoſpitiis, ſimili penitus privilegio munitis, uti queunt eadem amplitudine privilegii Gregoriani, qua utimur in Monaſteriis, Conventibus, atque Collegiis: quamquam videndum, quod ſcribit Cardinalis Petra apud Ferraris *v. Oratorium*. Recole *Num.* 310.

322. Pignatellus *tom.* 10. *Conſultat.* 84. inquit, quod ſi Regularibus in Civitatibus, Oppidis, aliiſve locis concedatur Hoſpitium, habere non poſſunt Eccleſiam, ſed tantum Oratorium privatum, cujus ingreſſus in viam publicam immediate non reſpondeat, nec ſit in plano, nec habeat Campanam, nec ibi miniſtrari poſſint Sacramenta, nec continuam permanſionem Religioſorum, niſi infirmorum, & ſervientium, nec ſepulturam habeat, niſi ſpecialiter concedatur; & ita ſæpius declaraſſe Sacram Congregationem

nem ſuper Epiſcopis, & Regularibus, refert. Circa Campanam denuo infra. Si in domeſticis Regularium Oratoriis Miſſam, non ſecus ac in publicis, audire poſſint in Feſtis quicunque fideles, & ſatisfacere præcepto, ac ſi Miſſa publice celebraretur; cur non poterunt Regulares Campanam publice tenere, publiceque pulſare ad populum ea de cauſſa convocandum? Oratoria Regularium domeſtica accenſeri publicis ſane probat Quarti *in Rubr. Miſſ. Rom. p.* 3. *tit.* 10. *ſect.* 1. *pag.* 387.

323. Attamen ad privilegium Gregorianum refertur facultas erigendi, ad Miſſarum celebrationem, domeſtica Oratoria in ruralibus domibus addictis Religioſorum reſidentiæ pro aliqua parte anni.

324. Epiſcopi, ex declarationibus, ac reſponſis nonnullis, quæ prodierunt ab Eminentiſs. Concilii Tridentini Interpretibus, adhuc habent facultatem approbandi Oratoria in domibus privatis, dum Eccleſiæ publicæ ædificari non poſſunt, in quibus ad Miſſam, & reliqua divina Officia fideles congregentur; & ſignanter Oratoria privata pro uſu detentorum in carcere. Immo Epiſcopus providere debet, ut in principalibus carceribus etiam Laicalibus adſit Capella, vel Oratorium ad celebrandum, ex Congr. Epiſcop. in *Burgen. an.* 1593. 1. *Decemb.* apud Pittonum in *Conſtitutionibus Pontificiis, & Romanarum Congregat. deciſ. ad Epiſcopos, & Abbates ſpectantibus n.* 277.

325. In aliis pariter locis Hæreticorum, vel Infidelium, ubi nulla permittuntur publica Oratoria, ex facultate Ordinariorum diſponi poſſunt privata Oratoria; non abſimili pacto, atque olim in primis temporibus Eccleſiæ in domibus privatis, aliquando etiam conſecratis, & in Titulum deputatis, divina omnia agerentur Myſteria, ad quæ ſimul una fideles conveniebant.

Quod paulo ſupra pollicebar, de Campana, inquam, in domeſticis Oratoriis Regularium, exequor. In Oratoriis privatis Campanas publice teneri non poſſe etiam per Religioſos, inſinuatur *c. Patentibus de privil. & exceſs. privil.*, & deducit Fagnanus in *d. c. tom.* 5. *pag.* 241. hac ratione, quia in loco publico, ſeu ele-

elevato habere Campanas, & publice pulſare eſt ſignum loci publici, & ſacrati. At *pag.* 243. *n.* 22. diſtinguit Fagnanus; nam aut quæritur de Oratoriis privatis, ſeu domeſticis, quæ Religioſi habent in ſuis privatis Domibus, vel Grangiis; & in his nec unam Campanam licet eis obtinere in loco publico, ſeu elevato (quamquam nutat ratio ab eo hìc allata) Aut quæritur de Oratoriis publicis, vel Eccleſiis, quæ ſunt in ipſis Monaſteriis Religioſorum, & planum eſt eis non licere in eorum Conventibus, & locis plures Campanas habere ſine ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ, ſed una tantum pro quolibet loco debere eſſe contentos, ad normam *Extravag. Joann. XXII. Quia cunctos.*

Nam ex Piaſecio *Praxis Epiſcop. art. 6. de viſit. Regul. n. 67. pag.* 240. *Campana eſt ſignum loci publici, ad quem tenetur confluere populus. Regulares autem non habent populum, qui teneatur accedere ad ipſos, cum non habeant Parochiam.* Etenim ex Schmalzgrueber *tom.* 3. *tit.* 40. *num.* 56. Campanæ ſuſpendi non poſſunt in Oratoriis privatis; *quia*, ait *pag.* 457. *Edit. Neapolit. an.* 1738. *Campanæ principaliter habentur in eum finem, ut populus ad ſacra, & divina myſteria peragenda communiter convocetur: qui finis in Oratoriis privatis hoc ipſo, quod privata ſint, & privatum commodum reſpiciant, ceſſat. Suſpendi ergo Campanæ in Eccleſiis, & Oratoriis publicis dumtaxat ſolent, & poſſunt.* An id aptari queat Oratoriis privatis Regularium, perſpicis. Si celebratio inſtar publicæ eſt, cur non convocatio per Campanam? Recole jam dicta. Jura oppoſita alium ſenſum recipiunt.

CAP. XVIII.

Nonnulla in publicorum Oratoriorum Ædificiis animadvertenda.

326. PUblicum eſſe Oratorium, quod omnium patet uſui, ac publico patere uſui, ſeu commoditati, ſi januam in via publica habuerit, probabamus Cap. I. cum determinatione quoque ibidem facta viæ publicæ naturæ, atque latitudinis. Quare nihil reſtat amplius, quam nonnulla, quæ ad ſitum, aut locum Oratorii

torii publici, & naturam viarum ad illud ducentium attinent, ut ad rationem ejus ſtructuræ progrediamur clarius, commodiuſque examinandam.

327. Ergo monendum primo arbitror, ſatis conſiderari tamquam publicum exitum viæ, quotieſcunque hæc terminaverit ad publicum Oratorium; nil ſiquidem obſtat viæ publicæ, ſi intermoriatur, ut in *Tit. 7. de locis & itin. publ. l.* 3. dicitur de viis vicinalibus, ideſt, quæ in vicis ſunt, vel ad vicos ducunt; nam iſtæ publicarum viarum in numerum referuntur, licet pars earum *ſine ullo exitu intermoriatur*; dummodo ad locum publicum habuerit ſuum terminum.

328. Qua de re ad comprobanda quæ ſtatuta ſunt, legatur Franciſcus Maria Conſtantini in *Statut. Urbis annot.* 22. *art.* 1. & inſpiciantur Litteræ a Summo Pontifice Clemente XII. ad Epiſcopum Placentinum pro ſimili Capella, ſeu Oratorio: *Fraternitati tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut ſi Capella prædicta publico in loco ſita ſit, ejuſque porta viæ publicæ adjaceat... Capellam hujuſmodi ſub prohibitione de mandato fel. rec. Pauli P. V. Prædeceſs. noſtri de non celebrando in privatis Oratoriis publicata minime comprehenſam declarantes &c. Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium... celebrari auctoritate noſtra Apoſtolica permittas.*

329. Quibus in Clementis Litteris nil quidem determinatur de latitudine viæ publicæ, non quia ille qualemcumque callem pro ſolis pedeſtribus, aut equitantibus viatoribus præparatum approbavit; ſed quia (in hanc deſcendo opinionem) requiſita ad viam publicam, quemadmodum & alia neceſſaria loco publico, tamquam ex communi Jure, Juriſque Commentatoribus nota, non tam exprimi, quam ſupponi oportebat.

330. Hinc his, cum præcedentibus, perpenſis, privatum videtur Oratorium, quoties alius in Oratorium non patet aditus, niſi per locum privatæ juriſdictioni ſubjectum; atque idcirco deſtrueretur publici natura ædificii, ſi per domus atrium, per prædium, aream, & campum alicujus dominio ſubjectum tranſire oportuerit ad Oratorium ſubeundum; niſi vel ſaltem *immemoriali*

con-

conſuetudine tranſitus ille pro publico haberetur; nec ulla maneret poteſtas in Domino prædii, aut domus, ut ingreſſum queat interdicere, obſervante prædicto Conſtantino *art.* 1. *de viis publicis*, *&* *privatis*; aut niſi Dominus atrii, ſolique, publico Inſtrumento renutiaverit ſuæ juriſdictioni, quemadmodum ex dictis Cap. II. Sacra Cardin. Concilii Trident. Congregatio declaravit, narrante etiam Fagnano in *lib.* 5. *Decretal. tit. de privil. cap. In his num.* 18. *pag. mihi* 280. ſimiliſque deprehenditur renunciatio ab eadem Sacra Congregatione requiſita, dum die 13. *Novemb. an.* 1626. modum ſervandum tradidit a Cardin. Bevilaqua ejuſdem Præfecto, in conſtruenda publica Capella in Villa Tuſculana. Vide etiam dicta Cap. XII. *Num.* 202. & Cap. II. cum XIX.

331. His adverſari poſſunt exempla quorumdam Oratoriorum, quæ quamvis intra privatas domos fuerint erecta, ut publica nihilominus habentur, quæ tamen haud frequentia ſunt; nam, nonnullis adnotantibus, ſignanter vero Cardinali Petra, jam ab initio præſentis ſeculi Sacra Concilii Congregatio monuit, ut ſi quæ erant hujuſmodi publicæ Capellæ in Titulum Beneficii erectæ, ab Epiſcopis in locum publicum extra domos privatas transferrentur, & aperiretur ſaltem, ubi ſtructura ipſa ſineret, janua illorum immediate in publicam viam reſpiciens; ſed adhuc aliqua ſuperſunt Oratoria intra privatas ædes permiſſa.

332. Adeſt etenim nobiliſſima Eccleſia Romæ intra ambitum Palatii Excellentiſſimæ Familiæ Altempſianæ publica utique, & cum Campana publicitatis indicio, Sacris Miniſtris perenniter ejuſdem Eccleſiæ cultui, & quotidianis offerendis Sacrificiis, ejuſdemque cuſtodiæ addictis; ac pompa, ſacroque apparatu, quo ſolemniter quædam Feſtivitates celebrantur, eo confluente frequentiſſimo populo.

333. Eccleſia hæc, ſimileſque aliæ Capellæ, intra domos ædificatæ, publicis accenſentur Oratoriis, proptereaquod annexum habent Eccleſiaſticum Beneficium, & in Titulum conferuntur; nec in Decreto Tridentini, & Pauli V. de Oratoriis privatis edito comprehenduntur; prout non una vice declaravit Sacra Cardinalium

lium Concilii Tridentini Interpretum Congregatio, ut referunt Nicolius *lib.* 5. *Lucubrat. Canonic. tit.* 33. & Pignatellus *tom.* 1. *Conſ.* 93. allegantes declarationem factam in *una Tarracinen.* 28. *Julii* 1619. *in una Pollicaſtrenſi* 15. *Julii* 1616. *in una Licienſi* 15. *Januarii* ejuſdem anni, & aliam declarationem Sacræ Congregationis Eminen. Cardinalium ſuper Eccleſiaſticam Immunitatem in *Neritonenſi die* 17. *Januarii* 1628. quæ cenſuit, certam Capellam in Beneficium erectam removendam quidem eſſe a domo privata, quouſque tamen illic retinebatur, gaudere adhuc privilegio localis immunitatis.

334. In Archivo quoque Sacræ Congregationis Concilii *lib.* 10. *Liter. pag.* 7. invenitur Epiſtola ſcripta Neritonenſi Epiſcopo in hunc modum: *Ad conſultationem prioris partis Litterarum Amplitudinis tuæ ita reſpondendum duxerunt Illuſtriſs. Patres Concil. Trid. Interpretes, nimirum Capellas intra domeſticos parietes Epiſcopi auctoritate erectas, & dotatas, ſi modo in Titulum perpetui Beneficii conferri conſueverunt, minime comprehendi in Decreto a S. Congregatione jam pridem edito de privatis Oratoriis; ac proinde poſſe Amplitudinem tuam, ubi dictas Capellas viſitaverit, ac divino cultui aptas, ac decentes eſſe compererit, ſuo arbitrio indulgere, ut in eis Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrari poſſit &c. Romæ die* 19. *Februarii* 1619. Ex his ergo fontibus anſam quis poſſet arripere ad eas impugnandas conditiones, quas requiri ad publicum conſtituendum Oratorium, aſſeruimus tam in hoc Capite, quam alibi.

335. At conditiones prædictæ manent integræ, cum licet liber, nulliuſque peculiari dominio parens eſſe debeat aditus, quo pervenitur ad publicam Capellam; attamen ſufficit, ut Dominus fundi ſe ſe obſtrinxerit ſolemniter, ideſt ſolemni Chirographo, ubi deeſt antiqua conſuetudo, ad liberum omnibus relinquendum acceſſum, ac proinde ſponte ſua proprium abdicaverit dominium loci, per quem tranſire debent, qui ad Oratorium accedunt.

336. Qua de re momenta videri poſſunt apud Ferraris *v. Oratorium*, ubi is affert lites ſuper ea re motas cum Epiſcopis, & irritas horum Suſpenſiones, ac Interdicta quoad hujuſmodi Oratoria, lau-

laudato etiam hac de cauſſa viro longe clariſſimo Eminentiſſimo Cavalchini in *Nitrien. an.* 1735. cum is tunc eſſet Sacræ Congreg. Secretarius; iſque ipſe ibidem refert Reſolutiones Sacræ Congregationis Concilii in *Savonen.* 28. *Julii*, *&* 9. *Septemb.* 1724.

337. Itaque privata Oratoria in privatis domibus primitus erecta, cenſentur publica, ſi iis annexi reperiantur Beneficiorum Tituli; quoniam ob Titulum Beneficiarium perenniter dedicantur cultui divino, & benedicuntur; quamvis non permittantur nunc nova ita erigi in Titulum privata Oratoria; nam cum Comitiſſa quædam Eugubina privatam ſuam Capellam erigere in Titulum, & propriis bonis competenter dotare pro perpetuo Capellano cogitaſſet; ac de ea re ſupplicem libellum S. Congreg. Concilii porrexiſſet; hæc illi reſpondit die 23. *Julii* 1616. quod *etſi ſæpius declaraverit Capellas, quæ in Titulum perpetui Beneficii conferuntur, non comprehendi Decreto a ſe edito de privatis Oratoriis, cenſuit tamen e re non eſſe, ut hoc extendatur ad Capellas in poſterum erigendas, ac propterea nihil eſſe concedendum Oratrici &c.* Videndum Caput XII. cum II.

338. Videndus Ferraris ibidem, qui etiam notat *num.* 83. Oratorium publicum, obtenta prius a Sacra Congregatione Concilii translatione onerum, poſſe, clauſa janua viæ publicæ, reduci ad Oratorium privatum. Sacra Congregatio Conc. in *Lucana* 19. *Auguſti* 1704. *lib.* 1. *Decret. Valleman. pag.* 605. Idem Ferraris ſcribit eodem loco *num.* 93. Oratorii erectioni locum eſſe in Collegio, ut in eo valeant Miſſæ quolibet die, & etiam Feſtis ſolemnibus celebrari, & Sacramenta adminiſtrari Convictoribus, Diſcipulis, atque domeſticis in Collegio actu degentibus, & illi inſervientibus, excepta Communione Paſchali (ita ut tamen non miniſtrentur populo Sacramenta, non habeatur ſepultura, non retineantur Campanæ publicæ, nec eleemoſynæ pro Miſſis ibidem celebrandis incongrue quæritentur) reſpondiſſe Sacram Congregationem Concilii in *Sutrina Oratorii* 11. *Junii* 1718. apud Theſaurum *tom.* 1.

339. Itaque, qui in Beneficiarium Titulum domeſticas Capel-

las erigebant olim, perpetuo eas divino cultui mancipabant, publicæque devotioni fidelium addicebant; ſimulque portam ſuæ privatæ domus, atrium, aream, ſcalam, quæ in eaſdem Capellas aditum præbebant, publicæ ſubdebant commoditati, ac ſtatis horis ad Sacrificium, & alia divina illic peragenda liberum omnibus acceſſum permittere obſtringebantur: quo pacto Capellæ illæ ad publicorum Oratoriorum conditionem tranſibant.

340. Quapropter ſicuti ad publicum Oratorium extructum extra domum, neceſſe eſt viam ad illud immediate ducentem exhibere publicam renunciatione proprii juris; ita ad publicum Oratorium intra alicujus domum erigendum requiritur, ut domus oſtium, & atrium libera opportune relinquantur: quæ cum obſerventur in Oratoriis ſuperius recenſitis, non deſiderantur in iis conditiones publicorum ad normam diſpoſitionis Sac. Congr. Concil. in *Nitrien.* 12. *Februarii* 1735. *Tom.* 7. *Theſauri Reſolutionum*, nempe, Oratorium ut ſit publicum requiritur, ut liber ſit ad illud acceſſus.

341. Similia dicenda de Capellis in Aulis Principum, quæ conſimili gaudent prærogativa, qua ceteræ Capellæ domeſticæ annexum Titulum Beneficiarium habentes fruebantur; obſervaturque in quibuſdam privilegiis a Romanis Pontificibus ad uberiorem earum, & Capellanorum Palatinorum ſplendorem conceſſis, liberum omnibus ingreſſum ad illas ipſas Capellas præſupponi, ideoque publicas reputari, ad diſcrimen aliorum Oratoriorum privatorum, pro quibus etiam Principes, & Magnates egent Indulto Apoſtolico; quod neceſſarium quoque eſt pro Oratoriis exſiſtentibus in publicis ædibus Civitatis, ac Magiſtratuum, non minus, quam pro Oratoriis Arcium, ſi illa intra has penitus contineantur, nec illorum janua immediate loco publico correſpondeat; licet ab Excubitoribus aditus quibuſcumque perſonis aliquando, & alicubi concedatur; nam ea Oratoria ſunt privata adhuc, ſi revera aditus ille omnium uſui non patet, & ab arbitrio Militum facultas ingrediendi pendet, quæ iccirco minime libera eſt, ex dictis Cap. I. & II. de præciſa Oratorii publici natura.

342.

342. De janua publica Oratorii animadvertere pariter juvat, ipſam comparatam cum oſtio privato (quod ex probatis Cap. II. non prohibet, Oratorium eſſe publicum) eſſe non debere anguſtiorem, viliorem, deteriorem, ideoque deformem; atque hæc deformitas facile panderet fraudem Fundatoris ad eludendas Eccleſiaſticas Leges, per aperitionem oſtioli reſpicientis publicam viam. Nec dubito, curaturum Ordinarium loci, ut, quum in ædificiis nobilior ingreſſus ſemper conſideretur, & ab eo denominatio præcipua publicæ, aut privatæ ædis repetatur, publica janua Oratorii ſit amplior ceteris; nec ſit aperta in angulis parietum, quin potius in medio, quantum ſtructura ædificii permittit; reſpiciatque, ſecundum Veterum morem, directe Altare Oratorii.

343. Tunc plane janua ſtatim præcipuum locum ingreſſus indigitans, publicum conſtituet Oratorium, & hoc ob minores alios privatos aditus nequibit *privatum* vocari. Atque hæc ipſa janua cauſſa eſt, ob quam, permiſſis privatis oſtiolis in gratiam Virorum Nobilium, vel Fundatorum, nulla patratur fraus, nihilque repugnans publicitati Oratoriorum committitur; nec, propter favorem illis impertitum, ulla ex parte læditur jus, quod omnes acquiſiverunt, ingrediendi publica iſta ædificia ſacra, dum oportet.

CAP. XIX.

De privatis publicorum Oratoriorum ingreſſibus diſſeritur, & circa formam ejuſmodi Oratoriorum Decreta in Eccleſiæ Mediolanenſis Actis contenta recenſentur.

344. DE privatis ingreſſibus plura collegimus in II. Capite, quibus alia quædam addere, hujus eſt loci. Eoſdem ingreſſus haud diffitemur, non expedire, paſſim cunctis concedi, ob illam ſubjectionem, ſive, ut loquuntur Canoniſtæ, peculiarem *ſervitutem* Oratoriorum erga perſonas, quibus privatæ iſtæ communicationes conceduntur. Unde etiam Pontifices Romani, dum Litteras declaratorias publici alicujus Oratorii concedunt, aperte cavent,

ne

ne ſiant privati aditus , per quos e domo privata intrari queat, vel proſpici in Oratoria.

345. Hinc ita loquitur Clemens P. XII. in Litteris *num.* 12. memoratis alio in loco ad Epiſcopum Placentinum: *Ejus* (Capellæ a Viro Nobili fundatæ) *porta viæ publicæ adjaceat*; *& in ea nulla alia porta, quæ ad aliquam domum ducat, exſiſtat*; *& quatenus exſiſtat, omnino claudatur*; *atque ita a privatis domibus ſeparata ſit, ut per eas ad eam acceſſus, aut proſpectus nemini pateat*. Apoſtolici Brevis, quo declarantur conditiones Oratorii publici, mentionem fecit, præter Pignatellum citatum a nobis Cap. II. Nicolius *lib.* 5. *Lucubr. Canonic. tit.* 33. idemque aperte monuit S. Congregatio Concilii quoad Oratorium ædificatum a Cardin. Bevilaqua in hæc verba: *Nec habeat aditum, vel proſpectum ullum in privatas ædes*. Ferraris in *Bibl. hic n.* 29. tradit, *poſſe Epiſcopum concedere licentiam erigendi Oratorium in domo privata, & inibi per modum habitus ſemper celebrandi*; *dummodo tale Oratorium habeat publicum ingreſſum, & egreſſum*; alioſque ibidem adducit Doctores.

346 Non eſt plane diſſimulandum, alicubi mitius intelligi prohibitionem privati aditus, proſpectuſve e privata domo in Oratoria; & quamvis aliqui non ſinant Epiſcopi ullam intercedere communionem inter Oratoria publica, & cubicula domeſtica, niſi id cuiquam fuerit ex ſpeciali privilegio Sedis Apoſtolicæ conceſſum; attamen conſimilem communicationem inter atrium, areamque domus, ac Oratorium, ſæpius permittere non recuſant: quod communionis genus in gratiam Fundatorum, ac Dotantium indulgeri poſſe in ipſo fundationis initio tradunt aliqui, cum Pignatello jam laudato in II. Capite a nobis; quod Caput revolve iterum. Certe ex Auctoribus colligitur, eos privatos aditus, niſi multum lædant decentiam loci ſacri, permitti ab Epiſcopis prudenter poſſe; ac tolerari inſuper poſſunt, ac debent, ſi nitantur pacto in fundatione inito, vel immemorabili, vel privilegio.

347. Et licet Monacellus *tom.* 1. *tit.* 6. *pag. mihi* 208. requirat beneplacitum Apoſtolicum pro hujuſmodi ſervitutibus; attamen ſubdit, Epiſcopum poſſe Eccleſiam cum hac lege fundatam,

va-

valide illis ſervitutibus ſubjicere, *ne Laici a fundationibus retrahantur; cum poſſit Epiſcopus leges, & conditiones etiam Juri contrarias admittere, non diceretur aliquod contra Jus attentare.*

348. Ex Concilio Provinciali Mediol. III. *Actor. p.* 1. cavetur, quod *Si quæ ædes, ædificiave cujuſvis generis a Laicis conſtructa ſunt, quæ vel Eccleſiæ, vel Oratorii parietibus continentia, innixaque hæreant; qua auctoritate, quoque jure ædificata ſint, cognoſcat Epiſcopus &c. Si quæ autem jure ædificata non demonſtrarint, ea aſportari, amoveri, diruive mandet &c.* Item in Concilio Provinciali IV. *p.* 1. *Actorum eorumdem Mediolanenſ. pag.* 126. cavetur, ne Oratoria *a parte ſuperiori, vel cænaculum, vel cubiculum, vel omnino locum habeant, ubi aut dormiatur, aut habitetur, aut quidquam profani fiat.* Verum in hac ipſa Mediolani Civitate oppoſitum in nonnullis Oratoriis publicis obſervat unuſquiſque. Semel enim hæ ſervitutes vel toleratæ, vel conceſſæ, non tolluntur amplius, vel nonniſi difficillime.

In Foliis S. C. C. *an.* 1738. *pag* 134. habetur, feneſtræ indultum (maxime quoad Eccleſias, in qua adminiſtrantur Sacramenta, omniaque divina peraguntur officia) non conſueviſſe concedi, niſi vel Patrono, qui in ipſa fundatione hoc Jus ſibi acquiſitum voluerit, vel ei, qui ob eximia beneficia optime de Eccleſia meritus fuerit, juxta recentiores ejuſdem Congregationis Reſolutiones, ut in *Mantuana* 18. *Maii* 1726. *in Reatina* 2. *Junii* 1731. *& in Rheginen.* 7. *Aprilis*, *&* 2. *Septembris ejuſdem anni*, *& in Veronenſi* 26. *Aprilis* 1732.

349. Indultum circa privatas januas, feneſtras, aut aditus alios, vel proſpectus privatos, fieri non ſemper expedit; quum nonniſi difficulter pericula profanationis domus Dei caveantur, quæ forte promanant ex incuria eorum, qui non ſedulo cuſtodiunt privatos illos aditus, & ingreſſus, atrium privatæ domus reſpicientes; ideoque nullos, præter publicam januam, patiuntur aliqui Epiſcopi, uti Georgius Barni, qui in ſua Placentina Synodo anni 1696. aditus privatos vetuit *tit. de Sacroſan. Eccleſ. & Orator.*

310. Merito, graviterque ſcribit Vaneſpen *p.* 2. *tit.* 16. *Cap.*

1. *n.*

1. *num.* 14. *pag. mihi* 237. *Interior Templorum* (& Oratoriorum) *ornatus talis ſit oportet, ut ipſum populum ad ſolidam, veramque pietatem, ac ſincerum Dei cultum excitare queat, atque ita hoc titulo templa dici queant Domus Dei, & Domus orationis*. Ita porro comparata videbuntur Oratoria publica, ſi circa formam, & modum ea conſtruendi, interiuſque aptandi, ſerventur optima Decreta, quæ leguntur in Actis Mediolanenſis Eccleſiæ quoad Oratoria publica. Etenim primo parte 4. *cap.* 30. *pag. mihi* 590., *& ſeq.* ita ſancitur: „ Oratorium ejuſmodi ſit, ut una tantum na-„ vi conſtet; cujus longitudo ſit non minor cubitis duodecim; „ latitudo vero decem, & altitudo ſitus rationi apte conveniat „.

351. „ Habeat præterea in Capite Capellam (quæ ſi fieri „ poteſt, in Orientem vergat) cubitis circiter octo, ampliuſve, „ prout ſitus ratio fert, late patentem; ea vero longitudine, & „ altitudine, quæ cum latitudine conveniat „.

352. „ Ad ejus ingreſſum gradus unus tantum ſit, cui ex præ-„ ſcripta forma, clathra infigantur „.

353. „ Cujus Altare, pavimentum, tectum fornicatum, fe-„ neſtræ, feneſtella urceolorum, campanula a latere appenſa, & „ reliqua ita ſint, ut de Capellis, Altaribuſve minoribus præſcrip-„ tum eſt „.

354. „ Ad Altare vero aſcenſus fiat duorum graduum: quo-„ rum unus ſit is, quem ipſius Altaris ſcabellum facit „.

355. „ A gradu autem inferiori ſcabelli uſque ad clathra „ ima, ſpatium, intervellumve ſit ſaltem cubitorum duorum „.

356. „ Feneſtræ præterea Oratorii in altum ita extructæ ſint, „ ut qui foris ſtat, inde introſpicere non poſſit „.

357. „ Janua e regione Altaris; feneſtra item, quæ in or-„ bem ducta, inſtar oculi ex præſcripto modo fiat „.

358. „ Labrum item aquæ benedictæ forma conſtituta prope „ januam intus ſtatuatur „.

359. „ Capellæ majori adjunctam Sacriſtiam habeat: quæ ubi „ poteſt, ad meridiem ſpectet; amplaque ſit pro Oratorii magni-„ tudine, & inſtructa ſupellectile, ac ceteris rebus, quæ uſui ſint „ ad præſcriptum „.

360. „ Ab altera parte, quæ Sacriſtiæ reſpondeat, parvula „ turricula a Parochiali omnino diſſimilis fieri poteſt; ſin minus, „ duæ pilæ lapideæ in pariete ſummo jam præſcripta ratione ſta- „ tuantur, ubi Campana una tantum ſuffulciatur „.

361. „ Si Oratorium ejuſmodi futurum eſt, ubi plures Miſ- „ ſas eadem pene hora celebrari oporteat, ab uno, & altero item „ latere Capellæ ſingulæ paulum a majori diſtantes, forma in Ec- „ cleſiæ fabrica præſcripta fieri poſſunt „.

362. Reliquarum etiam partium forma, & ratio, quæ ad Oratorium pertinere poſſunt, ſumenda ex iis, quæ præſcripta ſunt in Eccleſiæ fabrica.

363. De Campana Oratorii, aliiſque habetur etiam in *p.* 1. Concil. Provincial. IV. *pag.* 125. „ Simplex Eccleſia, Oratoriumve, „ unam tantum Campanulam habeat „.

364. Item „ Ne Eccleſiæ, Oratoriave ſitu, pulvere, aut alio „ ſquallore obſordeſcant „. Atque utinam hoc tam prudenter cautum, ſervatum ubique conſpicere liceret! Multa quippe Oratoria obſervavi humiditate, pulvere, araneis, ſordibus, ſtraminibus conferta, in quibus tamen venerabile Miſſæ Sacrificium abſolvitur quotidie; ut omittam maculas, ſciſſuraſque ſacrarum veſtium, & mapparum, ac linorum, quibus Tabernarii ſimiliter abundant. In his plerumque Sacerdotum celebrantium ſola culpanda eſt ſocordia, qua in domo Dei ſordes ſuſtinent, quas nullibi certe paterentur. Ultio tamen Domini, ultio templi ſui, quam Sacerdotes hujuſmodi in cultu divinarum, & ſacrarum rerum inertiſſimi, ſentient dubio procul, criminis, ac ſocordiæ declarabit gravitatem; ut monent Sancti Patres. Vid. *Num.* 370.

365. *Pag.* 275. etiam de Oratoriis intelligendum monetur præſcriptum de Eccleſiis „ ut quæ ſcilicet labentes, propeque ca- „ dentes, nullum cenſum habent, unde reſtituantur; Civitatis, „ municipii, locive, ubi ſitæ ſunt, impenſis inſtaurentur, Epiſcopi „ cohortatione diligenti „.

366. In Synodo Diæceſana XI. *Actor. Eccl. Mediol. p.* 2. *pag.* 404. „ Antequam in Eccleſia, Capella, Oratoriove quidquam no-

„ vi ædificii, ornamenti, aut picturæ fiat, illius operis exemplar,
„ aut delineatio nobis primum ſcripto probata, in Urbe Viſitato-
„ ri, & in Diæceſi Vicario Foraneo exhibeatur; ut de ejus conſilio,
„ initio operis, progreſſu, & fine agatur, & præſtetur omnino ad
„ præſcriptam formam &c. „

367. Item *pag.* 101. ex Concil. Provincial. III., & IV. *p.* 1. *Act. pag.* 126. Ut Oratorii „ parietes ab urina, aliiſve cujuſvis ge-
„ neris ſordibus mundi conſerventur; arbores, ſtirpes, aliaque ejuſ-
„ modi arbuſta ab Oratoriis quibuſvis remota ſint; ut ne radices
„ dilatatæ parietibus officiant, aut rami diffuſi tecta operiant, unde
„ detrimentum ipſis tectis exſiſtat „. Alia nonnulla perlege in *eadem pag.*

368. „ Sacella (*pag.* 3. *Act. Eccleſ. Mediolan.* ex I. Concil.
„ Provincial.) & Oratoria diruta, Epiſcopi ad eam rationem, quæ
„ a Sancta Tridentina Synodo præſcripta eſt (*Seſs.* 21. *cap.* 7.)
„ reſtituenda, vel alio transferenda curent; lapides, cæmentum,
„ & omnis materia eorum locorum ad profana ædificia ne adhibean-
„ tur, niſi Epiſcopi auctoritas ex juſta cauſſa intercesserit; quod enim
„ ſemel Deo conſecratum eſt, ad privatos hominum uſus transferri
„ non debet „.

369. De Eccleſiæ, aut Oratorii publici deſtructione, ſeu in profanos uſus converſione videndus Franciſcus Monacellus *p.* 3. *Formul. pag.* 284. *&c. edit. an.* 1751. & *p.* 1. *pag.* 382. docens, Eccleſias, quæ vel temporis injuria, vel tenuitate Beneficiorum ibi exſiſtentium, vel inopia Patronorum, aut incolarum, collapſæ inſtaurari nequeunt, vel de neceſſariis ornamentis, & ſubſidiis deſtitutæ reperiuntur, nec de illis provideri, ex Concilii ſanctione *cap.* 7. *Seſs.* 21. *de reformat.* penitus deſtruantur &c. Et Auguſtinus Barboſa *Jur. Eccl. Univerſ. lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 15. *pag.* 62. ait, quod ſi Oratoria non tractentur honeſte, poteſt Epiſcopus ſub Cenſuris ordinare, ut deſtruantur, citans Abbatem in *cap. fin. n.* 3. *de Cenſ.* & Fuſcum *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 7.

370. *Pag.* 275. *Act. Med.* ex V. Concil. Provinc. mandatur,
„ Ut in omni Eccleſia, Altari, Sacriſtia, omnique ſacra ſupellecti-
„ le

„ le nitor, munditiaque eluceat, id, quod etiam Innocentius III. „ P. in Concilio Lateranenſi cavit, magna cura, & diligentia „ a Sacerdotibus, Clericis, aliiſque Eccleſiæ Miniſtris adhiben- „ da eſt „.

371. Denique addam, quod legitur *pag.* 194. *ex Concil. IV. p.* 2. „ Quæcunque bona ſive mobilia, ſive immobilia, jurave ad „ Eccleſiam, etiam quæ ſit Juris patronatus Laicorum, quavis ra- „ tione pertinentia, a Laicis quovis nomine adminiſtrantur; de „ eorum rationibus diligenter conquirendis, & inventario recte „ conficiendo, plane præſtetur, quod primo Concilio Provincia- „ li decretum, ac ſancitum eſt de reliquis, aliiſve bonis, & juribus „ Eccleſiaſticis „.

In *Conſtitut. ad Epiſc. ſpectantibus n.* 1188. Pittonus affert Decretum Cong. Concil. *an.* 1652. 4. *Maii in Dertonen.*, quo decernitur, Confraternitates Eccleſiaſticas teneri pro rata cum Rectoribus Eccleſiarum Parochialium, quando Epiſcopus earum viſitat Eccleſias, & Oratoria, contribuere cibariis, & victualibus ſolitis præberi viſitanti Fpiſcopo, *ſed*, ſubditur in Decreto, *videatur conſuetudo.*

CAP. XX.

De facultate, & conditionibus extruendi Oratoria publica, conſecrandi, benedicendi, & polluta reconciliandi.

372. EXtrui non poſſe, aut divino cultui, & Miſſæ celebrationi deputari a quopiam Oratoria publica, abſque Ordinariorum facultate, abunde ſuis locis conſtitutum a nobis fuit. Eandem facultatem Epiſcopi juſtis de cauſſis largiri ſolent petentibus. Juſtiſſima, inter alias, cauſſa eſt, ut augeatur divinus cultus, ac foveatur fidelium pietas; eaque cauſſa ſemper præcipua fuit apud Sedem Apoſtolicam, ut teſtatur Monacellus *to.* 1. *Formul. tit.* 6. *pag.* 205. *num.* 1., & habetur in *Cap. Ex parte de Conſtit. Cap. fin. de Reſcript. in* 6. & in Jure Civili in *l. ſunt perſonæ ff. de Relig. & ſumpt. funer.* ex qua deſumptum eſt effatum, *Summa eſt ratio, quæ pro pietate, & religione facit.*

373. Aliæ ſunt cauſſæ, uti diſtantia nimia a Parochiali Eccleſia, quam ideo non commode convenire poſſunt ſinguli Parochiani; qua de re diximus Cap. II. Hæ, & aliæ rationes permovere poſſunt Ordinarios locorum Epiſcopos ad impertiendam ædificationis Eccleſiæ, aut Oratorii publici poteſtatem, ſine qua nequit nova fabricari Eccleſia, *Cap. Quicunque* 16. *q.* 7. *Cap. Lator* 16. *q.* 5. *Cap. Nemo de conſecr. & Cap. Auctoritatem de privil. in* 6.

374. Et quidem, inquit Vaneſpen *to.* 2. *p.* 2. *tit.* 16. *cap.* 2. *num.* 3. ea ædificationi Eccleſiarum lex poſita eſt, ne quis eas abſque conſenſu Diæceſani Epiſcopi ædificet; quemadmodum can. 4. Concilii Chalcedonenſis cautum eſt, & a Gratiano *cauſ.* 18. *q.* 2. *can.* 10. his verbis refertur: *Placuit igitur neminem aut ædificare, aut conſtruere Monaſteria, aut Oratorii domum ſine conſcientia ipſius Civitatis Epiſcopi*. Idipſum pluribus confirmavit Juſtinianus Imperator, ſignanter Novella 67. cujus Rubrica habet: *Ut nullus fabricet Oratorii domos præter voluntatem Epiſcopi*. Vid. Cap. I., & præterea Carolum a Baſilica Petri Sacrorum Canonum peritiſſimum in *Commentariis Canonicis ad Cap. Miſſarum* 13. *de conſecr. diſt.* 1. *n.* 3.

375. Ubi ſubeſt juſta cauſſa eandem facultatem concedendi, Epiſcopus eam non debet negare; ſecus datur recurſus ad Archiepiſcopum, vel ad Sacram Congregationem Concilii pro ſupplendo Ordinarii conſenſu, ut cum aliis ait *num.* 3. Monacellus ex Reſcripto ejuſdem Congregationis in *una Forolivienſi die* 16. *Januarii* 1694. Ceterum ea Epiſcopi facultas requiritur, adnotante etiam Petro Giberto *to.* 2. *tit.* 7. *cap.* 7. *pag.* 97. ex caſu paulo ante citato 18. *q.* 2. *cap.* 2., & eſt regula prima, quam ibidem ſtatuit Gibertus, ubi per Oratorium intelligit *omnia pia loca*; unde ait etiam *tit.* 15. *q.* 4. *pag.* 537. *imponi nomen Oratorii publici omni loco cultui divino dedicato, cujus aditus permittitur omni fideli*. Pariter Alexander IV. in *Cap. Auctoritate de privil. in* 6. prohibuit, conſtrui Oratoria, vel Capellas, ſine auctoritate Ordinarii. Videndus de Nicollis *tom.* 2. §. 1. *tit. de relig. domib.* aliique ab eo laudati.

376. Facultati conſtruendi novum Oratorium adjicitur conditio, qua jubetur, reſervari Jura Parochi, ut hæc intacta permaneant; qui-

quibus neque Epiſcopus poteſt præjudicium afferre.

Forte ad promptius avertendam læſionis Jurium Parochialium formidinem conſtitutum id eſt, quod circa Cereum habet Corius noſter in *Epitome Decretorum Synod. Mediolan. ex Syn. Diœceſ.* 34. *c.* 7. *v. Capellani pag.* 44. *num.* 12. *Nullus Capellanus audeat in ſuo Oratorio, ſeu Eccleſia Cereum benedicere tempore Paſchali; aut eo accenſo tempore æſtivo, Paſſionem D. N. legere; & ſuper hac re invigilent Parochi.*

Animadvertendum, ex alibi etiam obſervatis, ædificari poſſe novam Eccleſiam intra fines Parochiæ, quin concurrat conſenſus Parochi, & quamvis iſte expreſſe repugnet; cum impedire ipſe non poſſit, dum ejus jura non violantur; ut pluribus enarratis deciſionibus duarum Congregationum, Concilii, & Epiſcoporum, ac Regularium, confirmat Monacellus, inferens ex iiſdem deciſionibus *num.* 15. quod præjudicium proveniens Eccleſiis Parochialibus ex diminutione concurſus, & eleemoſynarum (qua duplici ratione ſe tueri, falſo putant Parochi, ac impedire Oratoriorum ædificationes) penitus contemnitur, & Parochi ſemper ſuccumbunt, quoties hoc clypeo velint ſe opponere ædificationibus novarum Eccleſiarum, ſive Oratoriorum.

377. Non diffitetur tamen Monacellus *p.* 2. *tit.* 13. *num.* 42. *pag.* 76. damna aliqua ex ædificatione Oratoriorum ruralium proficiſci; quia plebs caret Catechiſmo, & auditione verbi Dei; Sacramenta minus frequentantur; non audiunt ruſtici Vigilias de præcepto, nec denunciationes Matrimoniorum, nec Edicta Superiorum; nec faciunt oblationes, ac eleemoſynas in obſequium Dei, & pro ſuſtentatione Eccleſiæ Matricis, ejuſdemque ſupellectilibus; populus quippe Miſſam in Oratoriis audiens, ad Miſſam & Eccleſiam Parochialem non ſe confert, pabuloque ſpirituali ſaluberrimo proprii Paſtoris privat ſe ſe, non levi cum animarum detrimento.

Hinc optare ſe prodit Cardin. Petra ad *Conſtit. Apoſt. tom.* 4. *pag.* 390. *n.* 69. publica hujuſmodi Oratoria ita permitti, ut caveantur ſpiritualia damna, quæ ex illis in populum derivant.

Ve-

Verum, ut egomet obſervavi paſſim, vel perraro damna iſta contingunt, vel facile impediuntur, aut reparantur, ſi præſertim curent Parochi ad frequentandam diebus feſtis Parochialem Eccleſiam allicere, ac vocare populos, quos a Parochialibus Officiis, & functionibus feſtivis alienos minime eſſe comperi multoties, quamvis in publicis Oratoriis Miſſam in iiſdem feſtis diebus audirent.

Quid demum contra Parochos impedientes erectionem, vel celebrationem Miſſæ in Oratoriis, & Capellis publicis, ſcribat præfatus Monacellus, præter alios Auctores, habes in *Supplem. deciſ.* 21. noſque diſſerimus Cap. penultimo, & ultimo.

Hinc idem Monacellus *p.* 1. *tit.* 6. *pag.* 206. *& ſeqq.*, demonſtrat, Parochum, ſi ſervantur illæſa Jura illius, non poſſe ſe opponere ædificationi novarum Eccleſiarum, *ut frequenter*, inquit, *deciſum habemus ab utraque Congregatione* (Epiſcoporum, & Concilii) *& præciſe*: In *una Januen.* 5. *Septembr.* 1692. *in Nucerina* 12. *Martii* 1693. *in Placentina* 20. *Maii* 1697. *in Maceratenſi* 10. *Maii* 1687. *in Theatina* 29. *Julii* 1690. *in Forolivien.* 16. *Januarii* 1694. *in Ravennatenſi &c.*, quæ deciſiones omnes, excepta ultima, manarunt circa ædificationem Oratoriorum.

Patroni Fundatores Oratoriorum obſervare caute debent, quid ſibi circa ea competat, vel non competat; ut lites cum Parochis, & Ordinariis vitent; cum *Juris patronatus Eccleſiarum materia quotidiana ſit, ut experientia rerum magiſtra demonſtrat*, ait Rochus de Curte initio Tractatus de *Jur. patr. pag.* 1. *edit. an.* 1532.

378. De hora celebrandi Miſſam in die feſto aliqua collegimus in Cap. V. quibus ſuperaddam, quod *Miſſæ celebratio in Eccleſia, ſeu Oratorio ſito in Territorio extra mœnia alicujus Oppidi, non poteſt prohiberi, antequam celebretur in Eccleſia Parochiali, & Matrice, non obſtante Decreto Epiſcopi in Synodo Diœceſana, aut quocunque alio etiam in erectione Eccleſiæ edito, celebrationem hujuſmodi prohibente*, ut reſpondit Sacra Congregatio Rituum in *Camerinen.* 30. *Auguſti* 1664. & exinde in *Nucerina* 24. *Januarii* 1665. apud P. Merati in *Addit. ad Gavant.* 10. 1. *p.* 2. *in Indice ſub n.* 420. prout refert P. Avignonus alibi citatus. At lege Cap. XXI., & XXII.

379.

379. Nihilo tamen minus, hoc ipſo adnotante, Benedictus XIV. in ſua *Notific.* 3. *tom.* 3. plures allegat Sacræ Congregationis Concilii declarationes, quibus innuitur quidem de rigore Juris prohiberi non poſſe, quin in Oratoriis ſecularibus celebretur feſtivis diebus ante Miſſam Parochialem; ſed tamen itidem ſignificatur, Epiſcopum pro prudentia (ad excluſionem Parochi) curare poſſe, ut in diebus feſtivis prius celebretur Miſſa in Parochiali Eccleſia; ita tamen, ut Miſſa hujuſmodi hora opportuna celebretur; de quo in Cap. XXI. & XXII.

380. Parochos nonnullos ſcio Parochialem Miſſam in Feſtis nimis protrahere, & vel ad meridiem uſque, vel prope meridiem; ac ſevere prohibent Sacerdotibus aliis, ne ante Parochialem Miſſam celebrare audeant; iiſque Parochis ſuffragari videtur Decretum, quod legitur *pag.* 9. *p.* 1. *Actor. Eccleſiæ Mediolanenſis*: *Nemini ſine facultate ab Ordinario ſcriptis impetrata, in Oratoriis Sodalitatum ſecularium, quas Confraternitates vocant, aliiſque Eccleſiis, Capellis, aut Oratoriis ſecularibus, quæ Parochialis Eccleſiæ finibus continentur, Miſſam celebrare liceat Dominicis, & reliquis feſtis diebus, niſi abſoluta concione, quæ inter Miſſam in Parochiali Eccleſia habebitur.*

381. Verum perperam ſibi blandiuntur Parochi ex Decreti hujus diſpoſitione, illi nimirum ſignanter, qui ordinarie, & ſine juſta cauſſa differunt ultra congruum tempus functionem Miſſæ Parochialis, & concionem. Decretum enim illud vim tantum habet, quando Parochus debita, & congruenti hora Miſſam Parochialem celebrat, quia illud non opponitur alteri Decreto Concilii Provincialis Mediolani IV. allato a nobis ſub *Num.* 69., quo præcipitur facienda celebratio Miſſæ Parochialis *die feſto circiter duabus poſt ſolis ortum horis*. Si ergo ultra præſcriptam horam differunt Parochi Parochialis Miſſæ celebrationem, nemo erit, qui Sacerdotes non eximat a rigore præfati Decreti de Miſſa privata ante Parochialem non celebranda. Sed lege Caput V. & XIII. cum duobus poſtremis hujus Tractatus.

382. Non eſt prætermittendum fundamentum Parochorum, quo

quo iſti nituntur fidelium pietatem avertere ab ædificatione Oratoriorum, quod nempe populus ſolam Eccleſiam Parochialem debeat frequentare; nec ſit minuendus concurſus, vel eleemoſynæ; quod ita confutatur a memorato Monacello. Etenim cum hodie Parochiani non poſſint cogi ad audiendam Miſſam diebus feſtis in Eccleſia Parochiali, ut olim ſervabatur, juxta diſpoſitiones text. in *Cap. Cum Dominicis de Paroch.* & communiter tenent relati a Barboſa *de Paroch. cap.* 21. *num.* 2. ſequitur, quod conſtructio novæ Eccleſiæ, ſeu Oratorii, quæ eſt valde pia, & religioſa *Cap. final. diſt. 96.* pro ſola Miſſæ celebratione non debeat impediri; neque Parochiani coarctandi, ut diebus feſtis ad Parochiam accedant (prout moris antea fuit) ex Sacra Congregatione Concilii *in Fulginaten. 7. Julii 1696.* quamvis de cetero hortationibus ſint excitandi Parochiani ad Parochiales frequentandas Eccleſias, juxta diſpoſitionem Tridentinæ Synodi *Seſs.* 24. *cap.* 4. *de reformat.* Ita ille *p.* 1. *tit.* 6. *pag.* 207.

383. Reſervantur quoque in publici Oratorii fundatione Jura Epiſcopalia, quæ ita enumerat Monacellus *num.* 16. Cathedraticum, *Capit. Conquerente de offic. Ordin.* Quartæ decimarum, *Cap. Quoniam de decim.* Quarta mortuariorum, *Gloſs. in dict. Cap. Conquerente.* Procuratio, *Cap. Venerabili de cenſ.* Charitativum ſubſidium, *Cap. Cum Apoſtolus de Cenſ.* Viſitatio. Atque hæc Jura Epiſcopus a ſe abdicare nequit, *Graff. deciſ. aur. p.* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 27. *n.* 73., *&* 80. Fagnanus in *dict. Cap. Conquerente a n.* 11. *ad* 38. *de Offic. Ordin.* Circa Jus antedictum procurationis recolatur *Nu.* 239. ubi de Oratoriis, ſeu Sacellis Confraternitatum, *&* *Nu.* 371.

Circa procurationem adnotabis, eam minime eſſe perſolvendam, juxta doctrinam Cardinalis Petra, quam attuli Cap. X. *Num.* 155. ſi Oratoria publica non ſint dotata. Circa viſitationem autem obſerva, poſſe Epiſcopum viſitare publica Oratoria, quamvis Teſtator (ſeu Fundator) prohibuiſſet hujuſmodi viſitationem, prout obſervatur *in lib.* 7. *tit.* 8. *n.* 16. *pag.* 48. *tom.* 2. Pacis Jordani notatum.

Ab Ordinarii viſitatione eximi poſſunt Oratoria publica per ſpe-

ſpeciale Sedis Apoſtolicæ indultum, nec niſi perinſigne habetur privilegium confirmatum Ordini Prædicatorum *an.* 1755. 22. *Januarii* a fel. rec. P. Benedicto XIV. precibus annuente Viri longe clariſſimi Magiſtri Generalis ejuſdem Ordinis, Antonini Bremond; „ ut deinceps in publicis Capellis, ſeu privatis Oratoriis exſiſtentibus in domibus, poſſeſſionibus, & membris ad Conventus Ordinis prædicti nunc, & pro tempore ſpectantibus, & pertinentibus, quæ ab Ordinariis locorum juxta Jus viſitari, & approbari ſoleant, debeantque, licet ab illis nec viſitata, nec approbata fuerint, nihilominus Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium tam per Regulares ſive ejuſdem, ſive alterius Ordinis, quam Seculares Presbyteros tuto celebrari poſſit, Miſſamque inibi audientes diebus feſtivis præcepto Eccleſiæ hac de re edito ſatisfacere intelligantur, abſque tamen ullo Jurium Parochialium præjudicio, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Inſuper dictas Capellas publicas, & privata Oratoria a quacunque Ordinarii locorum quacumque auctoritate, ſuperioritate, & dignitate fungentis viſitatione & ſubjectione auctoritate, & tenore prædictis eximimus, & liberamus, ac exempta, & libera eſſe decernimus, volumus, & declaramus „.

Ne autem videretur Benedictus perſpicuis nimium derogare Juribus viſitationem memoratam injungentibus, hujus munus Viſitatoribus ejuſdem Inſtituti impoſuit: „ Quoad viſitationem per locorum Ordinarios ſuper illarum, & illorum fabrica, ornatu, & ſupellectili ſacra faciendam, ſatis ſit, & ſufficiat, quod dicta Oratoria, Capellæ, & Altaria viſitentur, & approbentur, ac viſitari, & approbari debeant a Patribus Viſitatoribus dicti Ordinis „.

Advertas quoque, juxta alibi dicta, Epiſcopum interdicere poſſe Oratoria publica, quoties velit, dummodo gravis, & legitima ſit cauſſa, ut ſi v. g. indecenter habeantur, vel humiditate nimia laborent, vel careant neceſſariis ſupellectilibus, vel &c.

In conſtruendis quoque, viſitandiſque Oratoriis præcipue caveri debere, ut extructa decenter ornentur, & ab omnibus actibus

mundanis omnino ſint libera; tum ut ibi peragantur divina, ſine Parochialis Eccleſiæ præjudicio, obſervabat Piaſecius *Prax. Epiſcop. p. 2. c. 3. art. 3. n. 14. pag.* 171.

384. Expeditis aliis tituli partibus, ad polluti Oratorii reconciliandi modum convertimus ſermonem. Eccleſia quæcunque, quæ eſt ſolum benedicta ab Epiſcopo, vel ab alio facultatem habente, non autem conſecrata, ſi polluatur, poterit delegatione ejuſdem Epiſcopi per quemcumque Sacerdotem reconciliari aſperſione aquæ luſtralis. At ſi eſſet conſecrata, reconciliari nequibit, niſi per Epiſcopum, qui facultatem ejuſmodi alteri non poteſt delegare, ex *Cap. Propoſuiſti de conſecr. Eccleſ.*, de quo tamen infra.

385. Proinde neque eam delegare poteſt Vicarius Generalis Epiſcopi, qui licet in iis, quæ juriſdictionis ſunt, cenſeatur una, eademque cum Epiſcopo perſona, ſitque unum & idem utriuſque Tribunal; & Ordinariam, Epiſcopi nomine, juriſdictionem in Diæceſi exerceat; plurima tamen ſunt, quæ virtute ſolius generalis commiſſionis, ſine ſpeciali Epiſcopi mandato, facere nequit, juxta deciſionem *Cap. Licet 2. & Cap. final. de Officio Vicarii in 6.* ubi Gloſſa, & Interpretes; ac potiſſimum quæ attinent ad poteſtatem Ordinis, ut Chriſma conficere, Sacramentum Confirmationis conferre, Eccleſias, & Altaria conſecrare, aut pollutis ſanctitatem priſtinam reſtituere: quæ cum aliis hujus generis Vicarius Generalis, tametſi Epiſcopali Ordine inſignitus, nequit peragere ſine peculiari Epiſcopi Diæceſani conſenſu. Lege Benedictum XIV. *de Synodo Diæceſ. Lib. 2. cap.* 8.

Hic notat *Lib.* 13. *c.* 15. *n.* 2. *pag.* 373. Ordinarium conſecrationem ſimplici Præsbytero etiam cum Sacris Oleis ab eodem Ordinario benedictis exequendam delegare neutiquam poſſe; nam hujus rei facultas uni Romano Pontifici reſervata eſt. Quare in Concilio Hiſpalenſi II. coacto *an.* 619. Præſide D. Iſidoro, Agapii Cordubenſis Epiſcopi factum, qui ad conſecrandas Eccleſias interdum ſimplices Præsbyteros delegerat, tanquam adverſus Canones attentatum, improbatum fuit a Patribus. Paulus III. Litteris Apoſtolicis diei 18. *Decembris* 1542. datis, & a Pio IV. 9. *Februarii* 1562. confirma-

matis Abbati Ludovico, ejuſque Succeſſoribus in regimine Einſidlenſis Monaſterii, conſecrandarum Eccleſiarum impertivit poteſtatem, Oratoriorum, Cæmeteriorum, Monaſteriorum, Calicum, Patenarum, &c. & polluta reconciliandi.

386. Polluitur autem Oratorium publicum, ſeu Eccleſia 1. effuſione ſanguinis magna injurioſa, ob violentiam ſcilicet in ipſa Eccleſia factam. 2. Seminis humani publica voluntaria effuſione illicita; ſive per copulam conjugalem, ideoque licitam. 3. Sepultura Cadaverum Hæreticorum, Infidelium, Excommunicatorum. 4. Si Eccleſia reconcilietur per Epiſcopum publice excommunicatum. 5. occiſione hominis in ipſa Eccleſia, quamvis ſanguis non effundatur, puta, quia laqueo ſuſpenſus, vel ſuffocatus fuit. Ad pollutionem Eccleſiæ oportet delicta hæc publica eſſe, & committi in ipſamet Eccleſia, ſecus ſi in Sacrario, ſi in atrio, aut campanili. Hæc Monacellus in ſuperius laudatis *to.* 1. *& tit.* 6.

His paucas cum Cabaſſutio *Theor. & prax. Lib.* 5. *cap.* 21. *pag.* 202. notationes placet inſerere. Ac primo, quamvis Eccleſia quævis, ideoque Oratorium publicum, per delegatum ab Epiſcopo Sacerdotem benedici valeat, non tamen conſecrari, niſi ab Epiſcopo Diæceſano, ab eove Epiſcopo, quem Ordinarius delegerit; quum id munus ſimplici nullatenus ſit committendum Sacerdoti, *cap. Cum aqua de conſecr. Eccleſ.*, Oſtienſ. *ibi. in ſum. num.* 2. Abb. *ibi. n.* 2. Etenim Conſecratio eſt actus, & officium Ordinis; ideoque ipſa inferiori Sacerdoti delegari non poteſt; cum tamen Benedictio utpote ſpectans ad juriſdictionem, alteri delegari queat (juxta Monacellum. *p.* 3. *pag.* 284.) Nec *Benedictionis* vocabulo aliud intelligi volo, quam generatim preces, quibus Eccleſiaſtico more rebus ſpecialis ſanctitas confertur, ita ut in uſus profanos illæ deinde nequaquam transferri queant.

Semel conſecratum Oratorium, ſeu Eccleſia, nequit iterum conſecrari, niſi vel dubitetur, an fuerit conſecrata, *cap. Eccleſiæ de conſecrat. diſt.* 1. vel parietes incendio abſumpti fuerint, aut diruti, ſive penitus, ſive majori ex parte *Can. Eccleſiis diſt.* 1. *de conſecrat.* Si tectum dumtaxat combuſtum, vel dirutum fuerit, mo-

dicave parietum pars, non iteratur conſecratio, *can. de fabrica de conſecrat. d.* 1. *c. propoſuiſti* juncta Gloſs. *de conſecrat. Eccleſ.* vel Eccleſia fuerit ab Epiſcopo hæretico conſecrata *can. Eccleſias*, & *c. Arianorum de conſecrat. d.* 1. aut a quocunque Epiſcopo publice excommunicato ob aliud quodlibet delictum.

Caſus inſuper adduntur, ſi vel ſepeliatur in Eccleſia (aut Cæmeterio) Paganus, vel Hæreticus, vel Excommunicatus notorius; nec tunc fieri valet reconciliatio, niſi cadavere exhumato, ſi poſſit diſcerni *c. Eccleſiam de conſecrat. d.* 1. vel ſi in Eccleſia, vel Cæmeterio voluntarie effundatur ſemen humanum, utut per copulam conjugum *cap. fin. de conſ. Eccleſ.* vel injurioſa fiat humani ſanguinis effuſio, aut per homicidium, quamvis patratum ſine effuſione ſanguinis, veneno, puta, aut ſtrangulatione *c. un. de conſecr. Eccleſ. in 6.*

Vox ea *injurioſa* apponitur ad excludendum homicidium, ſanguiniſve effuſionem fortuitam, ut in caſu lapidis, lignive ſupra caput delabentis; & item hominis aggreſſoris occiſionem, aut cruentum vulnus cum inculpata tutela, aut vulnus inflictum per hominem furioſum, ſeu amentem. Sed & vox *effuſio* denotat copiam; cum ſi modicus fundatur ſanguis ex injurioſa percuſſione, locus ſacer nequaquam polluatur *c. Cum illorum* juncta Gloſs. *de ſent. excomm.* nec ideo evenit pollutio, ut plerique ſentiunt, ob eam ſanguinis effuſionem ex naribus, quæ iis percuſſis exoritur, ut notat etiam Comes Vincentius Saccus *Inſtit. Jur. Can. lib.* 2. *tit.* 11. *pag.* 266. *edit. an.* 1760.

Requiritur præterea ad hujuſmodi pollutionis effectum, ut vulnus recipiatur in loco ſacro; nam ſi quis ſacrum intra locum conſiſtens jactu teli injurioſo alterum vulneret foris conſtitutum, interitmatve, non cadit pollutio in ſacrum locum, quanquam ſaucius ingrediatur Eccleſiam, vel Cæmeterium, ibique effundat ſanguinem.

Non reconciliatur locus ſacer pollutus, ſi profanatio, ſeu pollutio vel non ſit publice nota, quantumvis duorum, triumque teſtium depoſitione poſſet probari; vel contigerit extra ſpatium mu-

rorum

rorum Eccleſiæ, vel Chori, vel adjunctarum Capellarum (quæ partes cenſentur corporis Eccleſiæ) ut intra Sacriſtiam, aut Campanile, ſive ſupra tectum Eccleſiæ, aut in ſubterraneo ſpecu, niſi foret ſpecus ad ſepulturam.

Ante reconciliationem Eccleſiæ pollutæ nefas eſt in ea Divinis dare operam Officiis, aut mortuos ſepelire. Polluta conſecrata Eccleſia, Epiſcopi permiſſu, aut facultate ejus Vicarii ablui poteſt aqua denedicta per Sacerdotem quemcumque, adhibitis ordinariis Benedictionum precibus; & peragi poſtmodum intra eandem Divina Officia poſſunt, donec ab Epiſcopo conſecretur. Si Eccleſia benedicta tantum, non conſecrata polluatur, ſufficit ordinaria reconciliatio per ſimplicem Sacerdotem facta cum venia Ordinarii *cap. fin. de conſecr. Eccleſ.* juncta Gloſs.

Pollui Eccleſiam, ſive Oratorium publicum, perinde non eſt ac execrari Eccleſiam, vel Altare; polluitur quippe ſuperius allegatis modis; execrari autem, ſeu conſecrationem ſine pollutione amittere dicitur, quoties ſeclufis dictis caſibus, Conſecrationem ideo amittit, quia comburitur, vel confringitur Altare. Polluta Eccleſia, polluitur quodlibet Altare fixum in ea (*fixum* voco, a *mobili*, *portatili*, ſeu *viatico* Altari longe diverſum, per Sacros Canones) nec ante reconciliationem Miſſam in eodem licet celebrare.

Utrumque autem Altare, *fixum*, & *mobile* execratur, ſive Conſecrationem amittit, novaque indiget, ſi menſa ſuperior, ſeu lapis ſuperpoſitus ſigillum continens, hoc eſt, lapis ipſe viatici Altaris enormiter frangatur, aut minuatur, ut Calicem cum Patena ſecundum majorem ſui partem nequeat continere. I*mmobile*, ſeu *fixum* Altare execratur, dum lapis, ſeu ſuperior menſa conſecrata, ab inferiori amovetur ſtructura, ſeu baſi, cui affixum conſiſtit, aut a columnis, quæ illud ſuſtinent. Nec deſunt, qui autument, execrari Altare, fracto, aut amoto ejus ſepulchro, quo nempe ſacræ conduntur Reliquiæ.

CAP.

CAP. XXI.

Quatenus, & qua hora celebranda ſit Miſſa diebus feſtis, & Doctrinæ Chriſtianæ inſtructioni vacandum in Oratoriis publicis.

387. DE priore propoſiti tituli parte congeſſimus nonnulla in Eccleſiæ Mediolanenſ. Actis contenta Decreta, paucaſque obſervationes attulimus in Cap. V., (& XXII.) quæ recolere ne graveris, amice Lector, ne cogar ibidem ſcripta, repetere hoc loco. Nunc igitur, quæ tunc pollicitus ſum, accipe reliqua, ut probe intelligas, qua hora Sacrum facere valeant diebus feſtis Sacerdotes in publicis Oratoriis Divinam rem peragere obſtricti, aut volentes: Ita enim tolli prorſus puto diſſidia non rara inter Parochos, & alios Sacerdotes.

388. Benedictus XIV. Summus Eccleſiæ Catholicæ Paſtor, antea Bononienſis Eccleſiæ Præſul, ſuarum Notificationum Volum. 3. Notif. 3. refert, quod cum Viſitatione Paſtorali univerſam peragraret Diæceſim, magnum deprehendit publicorum Oratoriorum numerum auctoritate Prædeceſſorum ſuorum erectorum; & circa hæc diverſos diverſa cogitare dignovit.

389. Quandoquidem Parochi aliqui utilia eſſe Oratoria illiuſmodi affirmabant; ſive quia in iis celebratur Miſſa, & conſecratur Chriſti Corpus, ut deferatur ad infirmos minori cum difficultate, dum infirmi degunt in loco a Parochiali Eccleſia diſſito, quam ſi e Parochiali Eccleſia Sacra Euchariſtia deferenda eſſet; ſive quia plures Paræciani, qui domos incolunt a Paræcia diſtantes, tempore præſertim hiberno propter difficultatem viarum, & moleſtias hiemalis tempeſtatis, non intereſſent Miſſæ, niſi hæc celebraretur in aliquo Oratorio domiciliis proximo.

390. At aliter Parochos alios rem dijudicare, ſapientiſſimus Præſul animadvertit; ipſi enim celebrationem Miſſæ in Oratoriis præfatis in cauſſa eſſe ajebant, cur magna pars Parochianorum raro admodum accederet ad Eccleſiam propriam Parochialem, atque

que interea careret verbo Dei, inſtructione Doctrinæ Chriſtianæ, & Catechiſmi.

391. In hac opinionum diverſitate mentem, & ſententiam ſuam aperiturus Benedictus, cupere ſe præmittit Parochianos convenire Eccleſiam Parochialem crebrius, quoad valeant, ad audiendum Sacrum, Verbum Dei, Doctrinam Chriſtianam, & Catechiſmum; adducto Tridentini Concilii Decreto *Seſs.* 22. *in decr. de obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſæ* ad Epiſcopos: *Moneant etiam eundem populum, ut frequenter ad ſuas Parochias, ſaltem diebus Dominicis, & majoribus Feſtis accedant*; ad id quippe teneri Parochianos & ego deduxi ex eodem Concilio *Seſs.* 24. *cap.* 4. & verba attuli ſub *Num.* 73. Cap. V. & notat Benedictus ibidem *pag.* 30.

392. Hoc ipſum pateſcit ex *cap.* 7. *Seſs.* 24. *de reform.* ubi laudata Synodus jubet, ut Parochi *inter Miſſarum ſolemnia, aut divinorum celebrationem, ſacra eloquia, & ſalutis monita eadem vernacula lingua ſingulis diebus feſtis, vel ſolemnibus explanent*; cum reliquis, quæ eodem loco proſtant; nam cum Synodus Tridentina velit, ut Parochi diebus Dominicis, ceteriſque Feſtis ſermonem ex Altari habeant ad populum ſuum, vult inde quoque, ut Populus præfatis diebus Sermones Parochi auditurus, ſe conferat ad Parochialem Eccleſiam; dum ſe conferre abſque gravi queat incommodo.

393. Progreditur deinde Benedictus ad interdicendam, niſi impetrata ab Ordinario facultate, celebrationem Miſſæ in ſuæ Bononienſis Diæceſis Oratoriis publicis diebus Paſchatis, Nativitatis, Epiphaniæ, Aſcenſionis Domini, Pentecoſtes, Annuntiationis, & Aſſumptionis B. M. V., SS. Petri, & Paulli, S. Petronii, & Sancti Titularis Paræciæ, juxta vetuſtum ejuſdem Bononienſis Diæceſis morem.

394. Inde præclarus idem Notificationum Auctor ſtatuit, & comprobat hanc propoſitionem, *Non habere Parochos Jus jubendi, ut in Eccleſiis, aut publicis Oratoriis ſitis in ſua Paræcia, in quibus Miſſa celebrari poteſt, hæc celebretur poſt Miſſam Parochialem*;

ſed

ſed id ſoli competere Ordinario, ejuſque auctoritati. Hanc propoſitionem ſi vel internoſcerent, & obſervarent Parochi, procul dubio ab excitandis, nec ſine ſcandalo quandoque, litibus contra Sacerdotes, alioſque circa horam celebrationis Miſſæ feſtivis diebus in Oratoriis publicis, abſtinerent.

395. Sed ne ea propoſitio videatur Parochis ad arbitrium conficta, vel lædendis eorum juribus excogitata, hanc eſſe noverint mentem, ſententiamque Sacrarum Romanarum Congregationum; idque conſtare ex Reſolutionibus, quas refert Braſchi in ſuo *Promptuario Synodali cap.* 107. *num.* 23. *&* 24. „ Quod autem „ ſancire poſſit Ordinarius, ne Miſſa ante Miſſam Parochialem „ diebus feſtis in Oratoriis ſecularibus celebretur, pluries decre„ vit Sacra Congregatio Concilii &c. At vero Parochus ex ſe„ metipſo facere non poteſt anteſatam prohibitionem, quippe quæ „ ſpectat ad Ordinarium, ut eadem Sacra Congregatio Concilii „ cenſuit „.

Inter alias facultates eidem Congregationi conceſſas, eidem adſcribitur, ut non ſolum quæ ad divinum cultum, Chriſtianique populi mores ſpectant, decernat, & Decreta Synodorum Provincialium recognoſcat; ſed etiam Epiſcoporum poſtulatis circa Diœceſum ſtatum reſpondeat. Qua de re Petrus Antonius Danieli in nuperrimis *Inſtitut. Canonic. Civil.*, *&* *Crim. to.* 4. *tit.* 33.

396. Quare quoties Parochi coram prædicta Sacra Congregatione Concilii nitebantur defendere inhibitionem a ſe factam, de Miſſa non celebranda ante Miſſam Parochialem, eadem Sacra Congregatio reſpondit, prout in *una Cauſa Urbinaten.* inſtante Archipresbytero S. Caſſiani 27. *Junii* 1641. *Lib.* 16. *Decretor. pag.* 543. *a tergo* = *Sacra &c. reſpondit, de rigore Juris non poſſe prohiberi, ut Miſſæ non celebrentur ante Miſſam a Parocho non celebratam*.

397. Verum quoties adductæ fuere Conſtitutiones Synodales, ideoque Epiſcopi auctoritate editæ, interdicentes celebrationem Miſſæ ante Miſſam Parochialem, Sacra Congregatio reſpondit eaſdem obſervandas eſſe; præſertim Epiſcopo S. Agathæ Gotthorum

die

die 25. *Maii* 1652. *Lib.* 19. *Decretor. pag.* 191. = „ Sacra &c. „ ſæpius cenſuit, Conſtitutiones Synodales diſponentes, ut diebus „ feſtis Miſſæ celebrari non debeant in aliis Eccleſiis, niſi cele- „ brata Miſſa in Eccleſia Parochiali, eſſe obſervandas; ita tamen, „ ut Miſſa in Eccleſia Parochiali hora opportuna celebretur „. Hoc adnotent illi Parochi, qui magno cum totius populi incommodo, & rei ſpiritualis detrimento, ut privatis conſulant commodis, Miſſam Parochialem ultra quam par eſt, differunt; cum hæc *duabus circiter poſt ſolis ortum horis* debeat celebrari, ut injungit Concilium Provinciale IV. Mediolanen. relatum a nobis Cap. V.

398. Affert Benedictus Reſolutionem alteram *diei* 28. *Januarii* 1640. *Lib.* 16. *Decretor. pag.* 331. ita conceptam: „ Quæ- „ ritur, an Parochus prohibere poſſit, ne in Capella ruri per Lai- „ cum ædificata in ſolo publico celebrari poſſit, antequam Miſ- „ ſa celebretur in Eccleſia Parochiali Matrice. Sacra &c. reſpon- „ dit, ſuppoſita facultate legitima celebrandi in dicta Capella, „ de rigore Juris non poſſe prohiberi; ſed Epiſcopum pro pru- „ dentia curare poſſe, ut in diebus feſtivis prius celebretur Miſ- „ ſa in Parochiali Eccleſia „.

399. Quare his omnibus perpenſis, juſſit idem Archiepiſcopus Bononienſis, abſtinere omnino in ſolemnibus Feſtivitatibus ſuperius enumeratis a celebratione Miſſarum in Oratoriis publicis; in ceteris omnibus Feſtis de præcepto obſervandis abſtinendum a celebratione ante Miſſam Parochialem in Oratoriis, quæ non diſtant a Parochiali Eccleſia ultra milliare; dummodo Miſſa Parochialis hora competenti celebretur; neque enim unius milliaris diſtantia quoad Ruricolas tanta eſt, ut eos poſſit a frequentanda propria Paræcia avertere.

400. In iis autem Oratoriis publicis, quorum diſtantia ab Eccleſia Parochiali excedit milliare, declarat, poſſe Miſſam celebrari hora, quæ congruentior videbitur Sacerdoti celebraturo in iiſdem, ut vicinus populus intereſſe valeat Miſſæ eidem; etenim, experientia oſtendente, ſi via longior ſit unico milliari, & multo magis ſi pluribus, Paræciam non conveniunt, habentes Orato-

ria minus a domiciliis ſuis remota. Sed nec ullatenus in Oratoriis iſtis differri vel poteſt, vel debet celebratio Miſſæ poſt Miſſam Parochialem; quia Ruricolæ cum ſoleant præmature prandere, omittendæ eſſent, dilata auditione Miſſæ poſt Miſſam Parochialem, functiones aliæ, quas in iiſdem Oratoriis peragi vult idem Archiepiſcopus Bononienſis.

401. Hic enim jubet in præfatis Oratoriis diſtantibus a Parochiali Eccleſia ſpatio longiore milliaris, celebrari Miſſam hora quoad vicinos habitatores commodiore, impoſita Sacerdoti celebranti in ipſiſmet Oratoriis obligatione annuntiandi audientibus Miſſam, dies Feſtos de præcepto, exponendi Evangelium in Miſſa, & docendi quæ ad ſalutem æternam conſequendam neceſſaria ſunt, cum Catechiſmo, & Doctrina Chriſtiana; ſub pænis arbitrariis, & etiam ſuſpenſionis *a Divinis*, ſi Sacerdos hæc peragere neglexerit. Ita enim agi opus eſt, tum ne animæ verbo Dei deſtituantur, tum ne eas damnari contingat propter ignorantiam eorum, quæ ad ſalutem, ut Theologi docent, neceſſaria ſunt *neceſſitate medii*.

402. Neque hæc nova cuiquam videbuntur, qui adeat citatum Braſchi, qui poſtquam *num.* 24. ſtatuit, pertinere ad Epiſcopum, non ad Parochum, vetare, ne celebretur Miſſa ante Parochialem, aſſerit, permitti poſſe ab Epiſcopo celebrationem ante Miſſam Parochialem, *quando in Miſſis antecedentibus Parochialem fit populo per Celebrantem explicatio Catechiſmi: & ita hodie ſolet determinare ipſamet Sacra Congregatio Concilii*. Similiter præſcripſit Clemens XII. in ſua Encyclica ad univerſos Italiæ Epiſcopos *die* 1. *Julii an.* 1735.

403. Hæc Proſper Lambertini Bononienſis Archipræſul. Cum vero ad Petri Cathedram fuiſſet evectus, ad univerſam Eccleſiam extendit, quod pro Bononienſi tantummodo Eccleſia antea mandaverat peragendum. In ſua enim Encyclica *an.* 1742. 7. *Februarii* graviſſime Prælatos totius Catholicæ Eccleſiæ monet, ut diligentiſſime curent doceri fideles ſibi commiſſos Doctrinam Chriſtianam, & invigilare ſuper Parochos, ne in hac forte deſides ſint,

ma-

magno, & incredibili cum animarum detrimento (Doctrina Chriſtiana quomodo, & qua ſedulitate ſit à Parochis tradenda, præſcribitur quoque in Concilio Romano *an.* 1725. ſub Benedicto P, XIII. *cap.* 4. *&* 5. *pag.* 4.) tum modos exhibet ſatis opportunos, quibus omnis ætas, omnis populus, tametſi rudis, inſtrui queat ſive circa rudimenta fidei, ſive circa regulas morum, plurimaque commemorat in hanc rem plane utiliſſima, & vere tanti Pontificis, & Doctoris zelo, & ſapientia digna.

404. Ego vero illa dumtaxat, quæ ad præſens inſtitutum directe ſpectant, modo decerpam; ait quippe in eadem Encyclica, quæ incipit *Etſi minime*, Benedictus XIV. quoad Oratoria ruris, & Eccleſias a Parochiali diverſas, & disjunctas: „ Sitæ „ quandoque ſunt in agro parvæ, humileſque Eccleſiæ, aliæ Pa- „ rochiali proximæ, aliæ vero longo intervallo disjunctæ, ad „ quas diebus feſtis Patresfamilias una cum liberis accedunt Sa- „ cerdotem ſacris operantem audituri; ex quo fit, ut ſuæ Paro- „ chiæ nunquam fere interſint, nec ullum de myſteriis fidei, de „ præceptis, de Sacramentis verbum accipiant. Epiſcopus huic „ malo occurret, ſuamque objiciet auctoritatem, & primo qui- „ dem quoad parvas Eccleſias Parochiali proximas, expreſſa lege „ caveatur, ne quis antea Sacrificium faciat, quam Parochus Miſ- „ ſam celebraverit, ſermonem habuerit, ceteraſque ſui muneris „ partes abſolverit. Hoc enim pacto Eccleſia Parochialis confluen- „ tium Parochianorum numero celebrabitur „.

405. At quum, juxta dicta ſuperius, aliqua Oratoria diſtent ultra milliare a Parochialibus, ac neceſſe ſit in iis ante celebrare, quam Parochus Miſſam, & alia munia ſua perfecerit, ita decernit Benedictus XIV. ſubjiciens illico: „ Quo vero ad par- „ vas Eccleſias a Parochiali longe ſepoſitas, cum difficile admo- „ dum ſit, Parochianos ob locorum diſtantiam, longum iter, at- „ que aſperum, hyemali præſertim tempore, cum pluviæ inun- „ dant, Parochialem adire, ibique Divinis Officiis intereſſe, reli- „ cta Eccleſia proximiore: decernat Epiſcopus, gravibus etiam „ ſtatutis pænis, quod Sacerdotes ibi operantes Chriſtianæ Doctri-

„ næ ſummam Populo tradant, Divinamque Legem annuncient:
„ Monendus tamen eſt Parochus, ne alienæ operæ nimium tribuat,
„ ſed videat ipſe, quo loco res ſint, cum pueri Sacramentum Euchari-
„ ſtiæ, & Confirmationis, alii vero Matrimonii ſibi adminiſtrari ex-
„ poſcant „.

406. De hora Parochialis Miſſæ Synodi plures diſpoſuere; ut enim Populus ad Parochialem Miſſam frequentandam incitetur, mandavit Synodus P. III. Mechlinienſis *tit.* 12. *cap.* 6. ut Parochi ſtatuta hora pro Populo commodiore celebrent Parochialem Miſſam diebus præſertim Dominicis, & reliquis Feſtis: „ In omnibus Pagis totius
„ Provinciæ Miſſa Parochialis Dominicis, & feſtis diebus certa, & ea-
„ dem hora ſemper fiat, quacunque ratione in contrarium non ob-
„ ſtante, ſub pæna arbitraria „.

407. Porro horam hanc pro Mechlinienſi Diæceſi determinans Synodus Diæceſana *anno* 1609. *tit.* 11. *cap.* 6. „ mandat, ut a Feſto
„ Paſchæ uſque ad Feſtum S. Remigii, ſeu kalendas Octobris, Miſſa
„ Parochialis celebretur hora octava, vel circiter; a kalendis vero
„ Octobris uſque ad Paſcha hora nona „. In *Actis Eccleſiæ Mediolan.* *pag.* 149. & iterum *pag.* 733. ut præmiſi Cap. V. decernitur, Miſſam Parochialem eſſe celebrandam circa duas poſt ortum ſolis horas.

408. Eandem horam, ac Synodus Mechlinienſis Diæceſana, per totam Provinciam ſervari voluit Synodus P. I. Cameracenſis *tit. de cultu, cæremoniis, & Officio divino cap.* 15. & innovavit Synodus P. II. *tit.* 3. *cap.* 10. „ eamque uniformiter, & exacte per totam Provinciam,
„ quacunque in contrarium allegatione non obſtante mandat obſerva-
„ ri ſub pæna ſuſpenſionis a Divinis ipſis Parochis contravenientibus
„ infligenda „. Mitto Synodum Turonenſem *an.* 1583. *cap.* 8. & Bituricenſem anni ſequentis *tit.* 23. *can.* 8. ſtatuentes, ut Miſſam Parochialem Parochi celebrent non ad nutum Nobilium, aut Laicorum, ſed hora convenienti, opportuna, & conſueta. Saluberrime quidem, ſapienterque a Synodis, Præſulibuſque Eccleſiarum conſtituta hæc omnia eſſe dubitabit nemo, qui perſpiciat, ædificationi, pietatique fidelium mirifice prodeſſe rectum in omnibus ordinem, & accuratam Paſtorum diligentiam.

CAP.

CAP. XXII.

Eorum, quæ hoc Opere continentur, Ἀνακεφαλαίωσις.

409. NOnnullas de Oratoriis publicis ſanctiones maxime recentiores congerere poſtremo hoc Capite decrevi, quæ & compendii loco erunt totius prope Operis, & confirmandis iis, de quibus pertractavimus, plane proderunt.

410. In 7. tomo Theſauri Reſolutionum Sacræ Congregationis Concilii, ab eadem definitum legitur, Oratorium, aut Eccleſiam recens conſtructam, abſque conſenſu Parochi quaſcumque poſſe Eccleſiaſticas functiones explere, Miſſamque celebrare eo etiam tempore, quo in Parochiali Eccleſia celebratur, aut Divina Officia decantantur; dummodo tamen Epiſcopus aliter non cenſeat.

411. Appoſite obſervat Benedictus XIV. *de Syn. Diœceſ. Lib.* 12. *cap.* 7. *num.* 7. aliqua interdum a Sacris Urbis Congregationibus edi reſponſa, quæ licet Juri communi ſint conformia, non tamen labefactant contraria Synodorum ſtatuta, quæ alicubi juſtis de cauſſis vigeant, neque ab iſtis in poſterum ſervandis quempiam excuſant. Ita quamvis a Sacra Congreg. Concilii ſæpius deciſum fuerit, *de rigore Juris, non poſſe a Parocho prohiberi, ne in publicis Oratoriis, ſitis intra ſuæ Parochiæ fines, Miſſæ celebrentur ante Miſſam Parochialem*, prout legitur *lib.* 16. *Decretor. pag.* 331., & 543. attamen ſi Epiſcopus in Synodo, aut etiam extra Synodum, contrarium juſſerit, ne Populus retrahatur a Miſſa Parochiali, & concione in ea per Parochum haberi ſolita, Epiſcopi præceptum prævalebit, eique erit obtemperandum etiam ex ejuſdem Sacræ Congreg. ſententia, quæ *die* 25. *Maii* 1652. reſpondit; „ Conſtitutiones Synodales diſponentes, ut diebus feſtis Miſſæ celebrari non debeant in aliis Eccleſiis, niſi celebrata Miſſa in Eccleſia Parochiali, eſſe obſervandas „; ut legitur *lib.* 19. *Decretor. pag.* 191. qua de re videnda *Inſtit.* 44. ejuſdem Benedicti XIV.

412. Propter eandem cauſſam, videlicet, promovendi Officium, ſive Miſſam Parochialem, conſtitutum jam pridem fuit, ut Ec-

Eccleſia Parochialis plures , eaſque majores habeat Campanas , quarum pulſatione convocetur Populus : Regularium autem Eccleſiæ , & particularia Sacella , ſive Oratoria unam tantum habeant Campanulam , *Extrav. un. de Officio Cuſtodis in Comm.* quam in Concilio Mediolanenſi IV. *p.* 1. *tit. de Campanis* innovat D. Carolus Card. & Paſtor noſter vigilantiſſimus per hæc verba: „ Pa-
„ rochialis Eccleſia , ſi Campanas tres , grandiorem ſcilicet , me-
„ diam , & minimam habere non poſſit , ſaltem duas , ubi fieri
„ poteſt , habeat ; eaſque diſtincto ſoni concentu inter ſe recte
„ conſentientes, pro varia Divinorum Officiorum , quæ fiunt , ra-
„ tione , & ſignificatione. Simplex Eccleſia , Oratoriumve unam
„ tantum Campanulam habeat, ut Joannis XXII. Pontificis Con-
„ ſtitutione ſancitum eſt.

413. Circa functiones Confraternitatum memoratas Cap. VII. addam , quod cum *an.* 1736. 2. *Jun.* in Congreg. Concilii diſcuſſum fuiſſet , *An Sacerdotes deputandi a Societate Suffragii Loci Rapagnani Diœceſis Firmanæ poſſint ſolemniter canere Miſſas in Eccleſia, ſeu Oratorio ſub titulo Suffragii abſque licentia Parochi , vel potius Miſſæ ſolemnes , quatenus in dicta Eccleſia , ſeu Oratorio canendæ ſint , celebrari debeant ab eodem Parocho , etiam invitis Confratribus* ; prodiit Reſcriptum : Affirmative quoad primam partem de licentia Archiepiſcopi ; & negative quoad ſecundam .

414. Decreta eodem Capite VII. contenta , ſæpius exornata fuerunt in *Magiſtralibus deciſionibus* Sacræ Rotæ in *Pacen. Funeralium* 15. *Maii* 1723. cor. De Gamaches, & in *Faventina Jur. Parochialium* 7. *Martii* 1738. cor. R. P. D. Vicecomite, nec non in pluribus Foliis Sacræ Congreg. & ſignanter in *Aſculana Jurium , & Functionum Parochialium* 8. *&* 29. *Auguſti* 1733. *in Privernen. Ædificationis Eccleſiæ , & Jurium Parochialium* 24. *Septembris* 1735.

415. In *Hortana Jurium Parochialium* propoſita fuerunt ſequentia dubia 5. *Julii* 1738.

416. I. An in Eccleſiis Confraternitatum Laicalium Terræ Suriani expleri poſſint functiones non Parochiales , & ſignanter celebrationis Miſſarum cum aſſiſtentia Diaconi , & Subdiaconi inde-

dependenter a Parochis in ſolemnioribus earumdem Eccleſiarum Feſtivitatibus.

417. II. An in dictis Eccleſiis poſſint Parochi paragere functiones tam Parochiales, quam non Parochiales, irrequiſitis Officialibus, & Capellanis dictarum Eccleſiarum.

418. III. An Capellani dictarum Eccleſiarum recitare poſſint Officium Defunctorum, & canere Miſſam ad præſcriptum Ritualis, antequam ſepeliantur Cadavera illata in dictis Eccleſiis, ſeu potius privatim id ſpectet ad Parochos.

419. IV. An occaſione tumulationis Defunctorum in dictis Eccleſiis debeantur Parochis omnia intorticia, & ceræ, ſeu potius debeatur ſola quarta funeralis in caſu &c.

420. Reſponſum autem eſt ad I. Affirmative. Ad II. Negative. Ad III. Affirmative quoad primam partem, & negative quoad ſecundam. Ad IV. Servetur ſolitum ad formam Conſtitutionis San. mem. Benedicti XIII. Ita in Foliis Cauſarum propoſitarum, & definitarum a Sac. Cong. Conc. *an.* 1738.

421. Parocho de oblationibus a fidelibus Oratorio relictis non debetur aliqua portio; & per eas oblationes licet ampliare Oratorium, illudque in formam publicæ Eccleſiæ redigere, etiam diſſentiente Parocho; ex Reſolutione Sacr. Congr. Concil. in *Tarantaſienſ.* 22. *Aprilis* 1719. & (To. 6. Theſauri præcitati) in *Aſculana* 29. *Auguſti* 1733.

422. To. 8. ejuſdem Theſauri; In Eccleſiis Confraternitatum Laicalium expleri poſſunt Functiones non Parochiales, & ſignanter celebrationis Miſſarum cum aſſiſtentia Diaconi, & Subdiaconi independenter a Parochis, in ſolemnioribus earumdem Eccleſiarum Feſtivitatibus, in *Hortana* 5. *Julii* 1738.

423. Ibidem præterea. Non poſſunt in dictis Eccleſiis Parochi peragere Functiones tam Parochiales, quam non Parochiales, irrequiſitis Officialibus, & Capellanis dictarum Eccleſiarum.

424. Tomo 18. ejuſdem Theſauri in *Reſolutionibus anni* 1749. *die* 7. *Maii* ejuſdem anni; propoſita fuere ſequentia dubia, circa Oratorium patronatum, ſeu Juris patronatus Nobilis Familiæ Bolza Lovenni Comenſis Diæceſis.

425.

425. I. An in Feſto Titulari Eccleſiæ, ſeu Oratorii præfati, aliiſve Miſſæ decantari valeant independenter a Parocho.

426. II. An Venerabile Sacramentum exponi poſſit in dicta Eccleſia ſola impetrata licentia Epiſcopi, & independenter ab eodem Parocho.

427. III. An in ſupradicta Eccleſia per Sacerdotes ab Ordinario approbatos excipi valeant quocunque tempore Sacramentales fidelium Confeſſiones independenter a dicto Parocho.

428. IV. An independenter a Parocho extra tempus Paſchale administrari poſſit in eadem Eccleſia Venerabile Euchariſtiæ Sacramentum.

429. V. An ibidem de licentia Epiſcopi, & independenter a Parocho haberi poſſint Panegyricæ Conciones.

430. VI. An Anniverſaria, & Officia pro Defunctis ad libitum celebrari valeant independenter a Parocho in eadem Eccleſia.

431. VII. An, & cui competat Jus peragendi Exequias, & Officium funebre ſuper Cadaveribus, quæ tumulantur in ſepulchro dictæ Eccleſiæ.

432. Itaque ad I. dubium reſponſum fuit negative. Ad II. Affirmative. Ad III. negative. Ad IV. negative, præterquam in actu celebrationis Miſſarum. Ad V. & VI. affirmative. Ad VII. competere Parocho. Propoſitis iiſdem dubiis *die* 14. *Martii* 1750. Sacra Congregatio Concilii perſtitit in deciſis. Ubi animadvertendum eſt, Parochum hac in cauſſa fundamentum ſumpſiſſe ex diſpoſitione Synodi Diœceſanæ Cardinalis Ciceri *cap.* 6. *conſt.* 7. ubi vetitum fuit „ In Eccleſiis filiali-
„ bus, ſeu Oratoriis quibuſcumque, etiam Confratrum, Confeſſiones
„ audiri ſine Epiſcopi approbatione, Parochorum licentia, prout ſine
„ hac Miſſas ſolemnes, vel cum cantu celebrari, ſepeliri, alia Sacra-
„ menta miniſtrari „. Unde elucet, Benedictum XIV. Pontificem Summum, ſapientiſſimumque merito ea notanda præcipere, quæ ego paulo ante *Num.* 411. præmiſi, ſcilicet Jus commune locum interdum relinquere Statutis Epiſcoporum, aut Synodorum.

Hæc ad laudem D. O. M., in quibus ſi quid excidit a veritate, & Juris Canonici norma alienum, Catholicæ Romanæ Eccleſiæ cenſuræ ſubjicio;

ſubjicio; majora, favente Deo, in lucem editurus in eadem Facultate Juris Canonici, dum in me humaniter agant Eruditi Viri, quorum judicio ſubmitto hunc qualemcunque novum Tractatum *De Oratoriis publicis*.

FINIS

INDEX CAPITUM.

Caput I. Notio, & Origo publici Oratorii traditur. Pag. 1.
Cap. II. Amplius declaratur Oratorii publici natura, deque privatis aditibus diſceptatur. 9.
Cap. III. Jus patronatus unde profectum. 18.
Cap. IV. Modus acquirendi Jus patronatus. 25.
Cap. V. Quid Patrono competat circa publicum Oratorium. 33.
Cap. VI. Jura Parochorum in Oratoriis publicis an aliqua, præſertim juxta minus recentem Eccleſiæ diſciplinam. 44.
Cap. VII. Dubiorum nonnullorum refertur enodatio, inſpecta recentiore diſciplina quoad Parochorum Jura. 49.
Cap. VIII. Difficultates potiſſimæ circa Parochorum Jura diſſolvuntur. 64.
Cap. IX. Nonnulla alia Decreta exponuntur. 72.
Cap. X. De Oratoriorum dote, & oblationibus. 79.
Cap. XI. Oratoriorum publicorum immunitas aſſeritur. 90.
Cap. XII. Nonnulla publici Oratorii indicia pro aſſerenda immunitate, & de hac animadverſiones. 97.
Cap. XIII. De Confraternitatum Oratoriis, eorumque functionibus. 104.
Cap. XIV. De Oratoriorum uſu, diviniſque Officiis in iis perſolvendis. 114.
Cap. XV. De alienatione, & acquiſitione Oratoriorum. 120.
Cap. XVI. De Regularium Oratoriis. 126.
Cap. XVII. Quædam notationes in Gregorianum de Oratoriis privilegium. 135.
Cap. XVIII. Nonnulla in publicorum Oratoriorum Ædificiis animadvertenda. 143.
Cap. XIX. De privatis publicorum Oratoriorum ingreſſibus diſſeritur, & circa formam ejuſmodi Oratoriorum Decreta in Eccleſiæ Mediolanenſis Actis contenta recenſentur. 149.
Cap. XX. De facultate, & conditionibus extruendi Oratoria publica, conſecrandi, benedicendi, & polluta reconciliandi. 155.
Cap. XXI. Quatenus, & qua hora celebranda ſit Miſſa diebus feſtis, & Doctrinæ Chriſtianæ *inſtructioni vacandum in Oratoriis publicis.* 166.
Cap. XXII. Eorum, quæ hoc Opere continentur, Ἀνακεφαλαίωσις. 173.

IN-

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

A.

Abbatum Ciſtercienſium privilegium. Pag. 140.
Abuſus circa Eccleſias. 67.
Aditus privati Oratoriorum publicorum. 9. &c.
Alienatio Oratorii publici. Vide Oratorium.
Altare aliud *fixum*, aliud *mobile*. 165.
Arma, & inſignia probant Jus patronatus. 103.
Aſperſio ſolemnis aquæ benedictæ. 54. 55.
Aſperſorium viſitanti Epiſcopo, aut alteri Delegato porrigendum a Patrono Oratorii, non a Parocho. 56.
Aſylum. V. Immunitas. Oratorium.
Partes Eccleſiæ circa aſylum. 96.

B.

Benedictio rerum quid ſit. 114. 115.
Benedictio deputat perpetuo Eccleſiam cultui Dei. 84.
Benedictionum ſpecies duæ. 115.
Benedictio Eccleſiarum diſtincta a Conſecratione. 81. 84.
Benedictio Oratorii. V. Oratorium.
De Briuſchis Nobilis Familiæ elegans Oratorium. 39. 63.

C.

Campana, aut *Campanile* circa Oratorium publicum. 17. 98.
Campana poteſt collocari extra Oratorium ſupra ædes privatas. 98.
Campanæ Eccleſiæ Parochialis. 174.
Campanam Regulares publice tenere, & pulſare poſſunt in Oratoriis ſuis privatis. 142. 143.
Campanula unica Oratorio publico aptanda 153. V. Regulares.
Forma Turriculæ pro Campana publici Oratorii. 153.
Capella. V. Oratorium.
Capellæ, & Capellanorum nomen. 6.
In Capellis intra Eccleſiam conſtitutis celebranda eſt Miſſa horis com-

commodis Eccleſiæ. 37.
Capellanus an teneatur intervenire Proceſſionibus. 42.
Capellani Confraternitatum ſunt approbandi ab Ordinario. 106.
Capella, ſeu Oratorium erectum in Beneficium in domo privata, cenſetur publicum. 100.
Capella, ſeu Oratorium hujuſmodi eſt immune. 100.
Capella, ſeu Oratorium erectum in domo privata, parens Juri patronatus, eſt publicum. 100.
Capellarum privatarum in Beneficii Titulum erectarum janua publica eſt aperienda. 145. 147. 148.
Capellæ privatæ erectæ in Titulum Beneficii perpetui non includuntur Decreto prohibitionis Capellarum privatarum. 146. 147. 148.
Capella ſignificat etiam Oratorium publicum, atque etiam Altare erectum in Eccleſia. 6. V. Oratorium.
Capellæ privatæ cum Titulo Beneficii nunc non permittuntur. 147.
Capella, vel Oratorium ædificari non poteſt, ſine facultate Ordinarii 156. V. Licentia.
Cereum accendere, & Paſſionem D. N. legere in Oratorio non poſſunt Capellani. 157.
Cæmeterium benedictum eſt immune. 94. 102.
Parochus non poteſt quærere, nec tenere claves Oratorii publici patronalis. 64. &c.
Cleri Regularis, vel Secularis prædiorum Capellæ, Oratoria, Tempella, Eccleſiolæ. 120.
In Collegiis Convictorum erigi poſſunt Oratoria, & miniſtrari in iiſdem Sacramenta. 147.
Confraternitatum Oratoria, & functiones. V. Decretum.
Oratoriorum Confraternitatum functiones variæ. 76.
Confraternitas quid ſit. 104.
Confraternitatum origo. 104.
Non erigendæ Confraternitates cum præjudicio Jurium Parochialium. 114.
Confraternitates quænam officia, & functiones peragere poſſint, vel non poſſint. 105. 110.
Con-

Confraternitates ſubſunt Epiſcopis, & Judicibus Eccleſiaſticis quoad omnia. 105. 110.
Confraternitates ſunt Collegia mere perſonalia, a Hierarchia Eccleſiaſtica ſeparata. 105. 106.
Confraternitatum Indulgentiæ. 106.
Confraternitates nequeunt in ſuis Oratoriis conſervare SS. Euchariſtiam, ſine privilegio Apoſtolico. 107.
Nec exponere ſine licentia Ordinarii. Ibid.
Non poſſunt Confraternitates quæritare eleemoſynam ſine licentia. 107.
SS. Sacramentum quatenus deferendum a Confraternitatibus. 107. 108.
Confraternitatibus quatenus liceat Sacramenta adminiſtrare. 108.
Confratres quatenus in Oratorio ſepeliendi. 108. 109. 112.
A Confratribus recitandæ Veſperæ, dum non recitantur in Cathedrali, vel Parochiali Eccleſia. 108. 109.
Confratres debent eſſe adjutores in Scholis Doctrinæ Chriſtianæ. 109.
In Oratoriis privatis Confraternitatum quæ Sacræ Cæremoniæ fieri poſſint. 51. 52. 53.
Confraternitates omnes etiam in Eccleſiis Regularibus erectas viſitare poteſt Epiſcopus. 110. 111.
Eccleſias Confraternitatum viſitanti Epiſcopo Aſperſorium non porrigit Parochus. 56.
Epiſcopo viſitanti procuratio a Confraternitatibus præbenda eſt. 111. 155.
Expoſitio 40. Horarum, & Benedictio licita eſt Confraternitatibus, abſque Parocho. 111.
Circa hæc conſuetudinum, conventionum, & Decretorum Synodalium vis. 111. 112.
Ante concionem Parochialem non celebranda a Capellanis Confraternitatum Miſſa diebus feſtis. 106.
Conſecratio Oratorii. V. Oratorium.
Conſecrari poſſunt publica Oratoria. 82. 162. 163.
Quænam cultui divino dedicata. 18.
Cultus divinus quatenus publicus. 16. 17. 98. 99.
Curatus. V. Parochus.

Cuſtodibus Oratoriorum publicorum quid circa ea, & circa Sacras Cæremonias, ſeu functiones liceat. 53. 57. &c. 71. 72. 87. 88. 89.

D.

Decretum Urbis, & Orbis. 50.
Per illud controverſiæ plurimæ Parochorum, & Epiſcoporum cum Confraternitatibus, aliiſque circa multiplices functiones dirimuntur. 50. &c.
Decreta recentiora præ vetuſtis attendenda. 105.
Decretis Sacræ Rituum Congregationis quæ vis inſit. 113.
Decreta in Actis Eccleſiæ Mediolanenſis circa Miſſam dierum feſtorum. 37. V. Hora. Miſſa. Parochus.
Quatenus doceri poſſit Doctrina Chriſtiana, vel Sermo haberi in Oratorio publico, præſertim patronali. 63.
Doctrina Chriſtiana quam accurate tradenda in Oratoriis a Parochiali diſtantibus: Sermo ad populum. 170. 171. 172. V. Oratorium.
Dos aſſignanda eſt pro Oratorio, vel Eccleſia, ſi conſecrantur. 79. 80.
Dos non requiritur pro Oratorio benedicto dumtaxat, non conſecrato. 80. 81. 82. 83.
Quæ obligatio loco dotis requiratur. 81.
Requiritur dos, ſi Oratorium fundatur cum Titulo Beneficii. 81.
Dos pro Oratorio privato olim requiſita. 82.
Oratoria ſine dote non præbent Epiſcopo viſitanti procurationem. 81 160.

E.

Eccleſiæ publicæ quando conceſſæ. 2.
Eccleſiæ intra Paræcias conſtitutæ non dependent a Parocho. 70. 71.
Eccleſiæ non commiſſæ alicujus curæ dependent a Parocho. 71. 72.
Hæ dicuntur *filiales* dumtaxat quia non ſunt matrices. 71.
Eccleſiæ intra limites Paræciæ ſitæ non ſubjiciuntur Eccleſiæ Parochiali, niſi circa Jura Parochialia. 88. 89.
Eleemoſynas colligere vetitum ſine licentia Epiſcopi. 88.
Epiſcopi aliquando poſſunt approbare Oratoria in domibus privatis, & debent in Carceribus etiam laicalibus ea approbare. 142.
Epiſcopalia Jura in fundatione Oratorii publici reſervantur. 160.
Epiſ-

Epiſcoporum Jura. 160.
Epiſcopus interdicere poteſt publicum Oratorium. 161.
Exceptionibus Legum quando ſit locus. 67. 68. 69.
Execrari Eccleſiam, vel Altare quid ſit, & quomodo contingat. 165.

F.

Feneſtræ Oratorii publici. 10. &c. 17. V. Aditus. Servitutes.
Functiones in Oratoriis publicis quæ licitæ. 51. &c. 64. 73.
Functiones in Oratoriis privatis Confraternitatum licitæ quæ. 52.
Functiones in Oratoriis, & Capellis ſitis intra Eccleſiam Parochialem, vel eidem connexis. 74.
Functiones variæ in Oratoriis Confraternitatum. 76. V. Confraternitas.
Functiones Parochiales quæ ſint, & quæ mere Sacerdotales. 78. 79. 89. 90. 105. 107. 108. 109. 110. 111. 112. 113. 114.
Functiones quænam fieri poſſint in Eccleſia, ſeu Oratorio, ſine conſenſu Parochi. 173.
Functiones, & Miſſæ in Oratoriis Confraternitatum. 174. 175.

G.

Galliarum antiqua immunitas quoad Eccleſias. 90.
Grangiæ Regularium quæ, & quot ſpecies earum. 136. 137.
In Granciis, & domibus ruralibus Regularium erigi poſſunt Oratoria privata. 137. 138. 139.
Grangiarum Oratoria domeſtica eſſe immunitate prædita, permulti ſentiunt. 139. 140. Negant alii. 141.
Grangiarum viſitatio, earumque Eccleſiarum, & Oratoriorum, an, & quatenus ab Ordinario peragenda. 139. 140. V. Regulares.

H.

Hora Miſſæ Parochialis. 172. 173.
Hora celebrandi Miſſam in Oratorio feſtis diebus. An ibidem Miſſa cebrari valeat antequam celebretur Miſſa Parochialis. 158. 159. V. Miſſa. Parochus.
Hora celebrandi Miſſam Parochialem eſt circiter duabus poſt Solis ortum horis. 159.
Hoſpitia Regularium. V. Regulares.

Janua

I.

Janua Oratorii publici. 10. &c. 144. 145. 146.
Janua publica Oratorii debet eſſe amplior privatis oſtiolis. 149.
Januis clauſis celebrari poteſt Miſſa in publico Oratorio. 16.
Immunitas a Canonibus præſcripta. 90. 96.
Loca immunia quænam ſint. 90. 91. 94. 96.
Immunitatis fundamentum. 91. 92. 94.
E publico Oratorio, adeoque immuni ſceleris Rei nequeunt extrahi. 96.
Immunitas localis Eccleſiarum excludit ab iis uſus profanos, & Actus Judiciales. 96. 97.
Circa immunitatem attendenda etiam conſuetudo. 100. 101.
Immunitas quoad Eccleſias in Ditionibus Italiæ ſubjectis REGINÆ IMPERATRICI MARIÆ THERESIÆ. 100. 101. 102.
Immunitas Grangiarum Regularium. 140. V. Grangiæ.
Immunis eſt Capella privata in Beneficium erecta, ſed removenda a domo privata eſt. 146.
Ingreſſus publicus, & privatus. 10. &c. V. Oratorium. Servitutes.
Jura Epiſcoporum. 160.
Jura Parochorum, & Patronorum. 113. 114. V. Oratorium. Parochus. Confraternitas. Functiones.
Jura Patronorum nunc ex juſtitia debita. 31. 69.
Jura Patronorum in Eccleſiis. 21. &c.
Juris patronatus origo. 18. 19. &c.
Jus patronatus antiquum. 20. 21.
Jus patronatus ad Hæredes tranſmittitur. 24.
Jus patronatus acquiritur fundatione, conſtructione Eccleſiæ, ac dotatione. 25. &c.
Jus patronatus aliud eſt Eccleſiaſticum, aliud Laicale, aliud mixtum. 25. 26.
Jus patronatus aliud eſt perſonale, aliud reale. 26.
Jus patronatus reſervandum eſt expreſſe in fundatione Oratorii per authenticam Scripturam. 33.
Jus patronatus acquiritur etiam ſine expreſſa reſervatione. 33. 34.

De-

Deſcriptio Juris patronatus. 35.
Jus patronatus in Oratorio publico. 35.
Jus antiquum a moderno ſecernendum caute. 57.
Jus patronatus Oratorii probant arma, inſignia, picturæ, ſepulcra, inſcriptiones. 103.
Jus patronatus quomodo transferatur. V. Oratorium.
Jus patronatus ſimoniace alienantium pænæ. 126.

L.

Licentia Epiſcopi pro Oratorio conſtruendo. 2. 32. 91. 92. 93. 94. 95. 96. & alibi 140. 155. 156. V. Oratorium.
Cauſſæ concedendi licentiam ædificandi publicum Oratorium. 155. 156.
In licentia ædificandi Oratorium reſervantur Jura Parochorum. 156.

M.

Matrimonium non celebrandum in Oratorio. 56.
Miſſa in Oratorio publico celebrari poteſt nutu Patroni qualibet hora etiam in Feſtis. 35.
Atque etiam ante Parochialem Miſſam. 35. 36. 37. 38. 42. niſi prohibeat Epiſcopus. 38. V. Ordinarius. Parochus.
Decreta circa hoc in Actis Eccleſiæ Mediolanenſis. 37.
Miſſa Parochialis celebranda circiter duabus poſt Solis ortum horis. 37.
Miſſa una celebranda in aurora in Feſtis. 37.
Miſſa januis clauſis, & non pulſata Campana celebrari poteſt. 38.
Cum licentia Patroni celebrari poteſt in Oratorio Miſſa tam privata, quam ſolemnis. 48. 49. 61. 62. 75. 77. 78.
Quomodo requiratur licentia Epiſcopi ſcripta. 63.
Miſſæ ſolemnis cantus non eſt functio Parochialis. 76. 78.
Miſſæ an aliquæ ex obligatione celebrandæ in publico Oratorio. 83.
Miſſa Capellanorum Confraternitatis. V. Confraternitas.
Hora celebrandi Miſſam in Oratoriis in Feſtis. 158. 159.
Mulieres poſt partum ad purificationem admittere, ac benedicere ſpectat ad Parochum. 46.

O.

Adminiſtratio oblationum Oratorio factarum eſt penes Rectorem, vel Patronum, quamvis Laicum, non penes Parochum. 87. 88.
Ea adminiſtratio non eſt Juris ſpiritualis. 88. ſicut nec cuſtodia Reliquiarum, & Imaginum. 88.
Bona mobilia, & immobilia Oratorii. Jura. Inventarium. Redditio rationis adminiſtrationis. 155.
Oblatio quid ſit. 85.
Oblationes factæ publico Oratorio ordinarie cedunt Oratorio. 85. 86. 87. Vel Reliquiæ, vel Imagini. 87.
Oblationum uſus. 175.
Oblationum inſtitutum reſtitutum a S. Carolo. 85.
De oblationibus Oratorio relictis nihil dandum Parocho. 175.
Oblationes percipit Parochus, niſi alteri competant. 86.
Obligatio impoſita Sacerdoti celebranti in Oratorio ante Miſſam Parochialem. 170. 171. 172.
Oratorium quid ſit. 1.
Oratoria antiqua privata. 1. 59. 142.
Oratoria antiqua publica. 59. 60.
Oratorium privatum. 3.
Oratorium publicum. 3. 4. 5. 144.
Oratorium dicitur etiam Capella. 6. V. Capella.
Oratorii publici origo. 6. 7. 8.
Oratoria in Valle Travalea. 8.
Oratorium publicum filiale Eccleſiæ Parochialis quodnam ſit. 9.
In Oratorio celebrari poteſt januis clauſis. 16.
Renunciandum eſt ſitui ante Oratorium. 18. 144. 145. 146. 147. 148.
Oratorium non debet inferre præjudicium Juribus Parochialibus. 43. 47.
Jurium Parochialium enumeratio ad normam diſciplinæ minus recentis. 44. &c.
In Oratorio miniſtrari poteſt Sacramentum Pænitentiæ. 47. 58.
Etiam Sacramentum Euchariſtiæ, excepto die Paſchatis. 48. 58.
In Oratoriis qua hora celebranda ſit Miſſa in diebus feſtivis. 166. 167. 173.

Functiones quæ licitæ in Oratoriis publicis. 51. &c.
Parochis nihil competit circa Oratoria Patronorum. 54. 71. 72. 76. 77.
Quatenus converti poſſint Oratoria benedicta in uſus profanos. 84.
Oratorium publicum immune eſt, non privatum. 91. 92. 96. 140.
Fundamentum immunitatis Oratorii. 91. 92.
Modus probandi, Oratorium, vel Eccleſiam cum licentia, ſaltem tacita, Epiſcopi erectum, benedictum, aut conſecratum fuiſſe. 93. 95.
In Oratorio nondum benedicto, nec conſecrato, deputato tamen ad cultum divinum, licet non plene conſtructo, Miſſa poteſt celebrari. 94.
Oratorium habet privilegia Eccleſiæ. 95.
Recitari debet Officium primæ claſſis cum Octava de Sancto Titulari Oratorii, licet non conſecrati. 117.
A quibus id fieri oporteat. 119. De Miſſa S. Titularis ibi.
Oratoria publica veniunt nomine Eccleſiæ. 119. 120.
Rei ex Oratoriis publicis nequeunt extrahi. 96.
Oratorii publici ſigna, & indicia. 97. 98. 99. 100.
Loca Oratorio publico conjuncta ſunt immunia. 102.
Oratorium conſecratum, vel benedictum nequit privata auctoritate transferri ad uſum profanum. 114. 115.
Quædam adjicitur limitatio. 115.
Oratorio cultus elegantior debitus. 116.
Oratorii publici Jus patronatus transfertur in alios venditione rei, cui eſt annexum. 120.
Item ſucceſſione hæreditaria. 121.
Item donatione. 123.
Oratoria publica viſitantur ab Epiſcopis. V. Viſitatio. 81.
Oratoria indotata. V. Dos.
Oratorium per ſe vendi, & alienari poteſt, ſi fuit erectum ſine facultate Ordinarii. 121.
Si polluatur Oratorium, quomodo reconciliandum. 162. &c.
Oratoria privata Grangiarum, & Domorum Regularium. 129.

Oratorium privatum converti poteſt in publicum — 10. & publicum in privatum. 147.
Oratoria privata publicarum ædium Civitatis, Magiſtratuum, & Arcium nequeunt erigi abſque Indulto Apoſtolico. 148.
Oratorium conſecratum, pollutum non reconciliatur per ſimplicem Presbyterum, ſed ſolum per Epiſcopum. 162. 163.
Ornatus interior Oratoriorum. 151. 152.
Forma, ratio, & regulæ conſtructionis Oratoriorum. 152. 153.
Quam diligenter debeant Sacerdotes, aliique Oratorii, & veſtium ſacrarum, & ornatuum munditiem, ac nitorem ſervare. 153. 154. 155.
Oratorii reſtauratio quorum ſumptibus facienda. 153. 154.
Si quid novi operis in Oratorio faciendum, exemplar, & delineatio exhibenda Superiori Eccleſiaſtico. 154.
Ab Oratorio ſtirpes, arbores, arbuſta removenda. 154.
Oratorii diruti materiæ uſus. 154.
Oratoria quando deſtruenda, & quando id mandare poſſunt Epiſcopi. 154.
Oratorium ædificari poteſt, etiamſi Parochus repugnet. 157. 158.
Damna ex Oratoriis naſcentia quomodo evitari poſſint. 157. 158.
Feſtum Conſecrationis Oratorii debet celebrari. 116. 118. 119.
Sed non Feſtum Benedictionis Oratorii. 117. 118. 119.
Quatenus Oratoria benedicta converti queant in uſus profanos. 84.
Oratorii publici utilitas. 6. 7. 8. 9. 155. 156. 166. V. Jus patronatus. Patronus.
Oratoriorum Religioſorum viſitatio. V. Viſitatio.
In Oratorio privato quæ functiones fieri valeant. 52. 53.
Oratorium ſemel conſecratum an aliquando iterum conſecrandum. 163. 164.
Cuſtodes, & Rectores Oratoriorum publicorum. V. Cuſtodes.
Ordinarii tantum Epiſcopi, & Synodi poſſunt jubere, ut in publicis Oratoriis celebretur Miſſa poſt Miſſam Parochialem. 168. 169. 173.
Oratorium quomodo polluatur. 163. 164.
Pa-

P.

Parochi quoad Jura funeraria. V. Quarta. Sepulchrum.
Parochus non habet jus celebrandi in Oratorio patronato, niſi ei facultatem det Patronus Oratorii. 46.
Parochus in Oratorio baptizare non poteſt. 46.
Parochorum Jura ex minus recenti Eccleſiæ diſciplina. 44. &c.
Eadem Jura juxta recentiorem diſciplinam. 49. &c. 60. 61. 62.
De Parochorum Juribus. V. Oratorium.
Parochus circa ſepulturam Confratrum. 108. 109. 112.
Parochiales functiones. V. Functiones.
Parochi nequeunt ſe opponere ædificationi novarum Eccleſiarum. 158. 159. 160.
Parochi non poſſunt ad libitum differre celebrationem Miſſæ Parochialis. 159.
Patronorum origo. 18. &c.
Patroni antiquitus eligebant Presbyteros ad celebrandum in Oratoriis. 33.
Patroni Officium circa Oratorium ſuum. 40. 116.
Oratorii proprii, & quorumvis hujus reddituum Patronus eſt Adminiſtrator. 40. 41.
Quas liceat Patrono peragere functiones Eccleſiaſticas in ſuo patronali Oratorio ſine Parocho, ſi aliquod Synodi alicujus Diæceſanæ extet Decretum, vel non extet. 175. 176.
Oratorium ſine licentia Patroni nequit erigi in Parochialem. 41.
Patronus excludere poteſt quemlibet Sacerdotem, & etiam Parochum a celebratione Miſſæ in Oratorio. 41. 42.
Patronus pauper eſt alendus ex redditibus Eccleſiæ patronalis. 43.
Patronus in ſuo Oratorio poteſt prohibere Parocho exercitium functionum Parochialium. 41.
Patronorum, & Parochorum Jura. 103. 114. V. Jura. Oratorium.
Patronus non habet dominium Oratorii. 116. 120.
Pluribus Patronis unius Oratorii quomodo vitandæ lites. 122.
Patronis quid cavendum ad vitandas lites cum Epiſcopis, & Curatis. 158.

Pa-

Patronus Oratorii. V. Jura. Jus patronatus.
Populus tenetur audire concionem Parochi diebus feſtivis, & ad Parochialem Eccleſiam ſe conferre. 38. 39. eamque frequentare. 167.
Porta Oratorii. V. Janua. Ingreſſus. Capella. Oratorium.
Privilegia Regularium circa Oratoria. V. Regulares.
Privilegium a Gregorio XIII. Societati Jeſu conceſſum. 132.
Privilegium eximium Ordinis Prædicatorum. 161.
Privilegium Abbatum Einſidlenſis Monaſterii. 162. 163.
Proceſſio quoad Oratorium patronale fieri nequit ſine licentia Patroni ejuſdem Oratorii. 75.
Procuratio. V. Dos.
Ob Oratorii non dotati viſitationem non datur procuratio. 81.
Proſpectus privati Oratoriorum. 9. &c. V. Feneſtræ. Servitutes.
Publicum quid. 10. &c.

Q.

Quarta funeralis debita Parocho. 39. 40. 109. 110.

R.

Reconciliatio polluti Oratorii nequit delegari ſimplici Presbytero. 162. &c. V. Oratorium.
Reges, & Principes indigent licentia Apoſtolica pro Oratoriis domeſticis. 129. 148.
De Regularium Oratoriis cur agat Auctor. 126.
Regularium privilegia circa Oratoria privata non abſtulit Clemens XI. P. 127.
Regulares poſſunt erigere privata Oratoria. 127. 129. 130. 132.
Regularium privilegia quoad hoc non fuerunt per Tridentinum Concilium revocata. 127. 129. 131.
Privatis in Oratoriis Regularium celebrare poſſunt etiam Presbyteri Seculares. 128. 129. 133.
Omnes fideles in iiſdem Oratoriis Miſſam audientes feſtis diebus, ſatisfaciunt præcepto. 128. 130. 132.
Privilegium Regularium erigendi privata Oratoria, eſt *locale*, non *perſonale* ſolum. 127. 128. 130.
Re-

Regulares poſſunt erigere privata Oratoria in Grangiis, & domibus ruralibus, cum deſignatione, & licentia Provincialis quoad Regulares privilegiatos. 129. 132.
Sine licentia Provincialis non poſſunt Regulares deſtruere Oratoria, eave in uſus profanos convertere. 133.
In Choro, & Sacriſtiis poſſunt Religioſi celebrare, & quoad reliquas partes Conventuum poteſt Epiſcopus concedere licentiam Oratoria extruendi. 134.
Regularium Cænobia non ſunt domus privatæ, ſed religioſa loca, quæ & vocantur *Eccleſiæ*. 134.
Oratoria Regularium ſeparata a Clauſtris, campeſtria viſitari poſſunt ab Epiſcopo. 134. 140.
Regularium Hoſpitia. 135.
Regulares Sacram Communionem conferre poſſunt in Oratoriis ſuis. 135. 136.
SANCTISSIMAM EUCHARISTIAM aſſervare ibidem minime poſſunt Regulares, nec in Grangiis, ſeu domibus ruralibus. 136.
Regulares in Hoſpitiis poſſunt privata erigere Oratoria. 136. 141.
Item in Grangiis, & domibus ruralibus, præſertim ſi ſint privilegiati. 137. 138. 139. 141. 142.
Prædia, vel domus, ubi unus, vel duo Religioſi habitant, non gaudent privilegiis Collegiorum, ſeu Conventuum. 141.
Regularium Oratoria domeſtica accenſentur publicis. 142.
Regularium Eccleſiis, & Sacellis Campana unica competit. 174.
Religionis Auctoris privilegia. 128.

S.

Sacellum. V. Oratorium.
SANCTISSIMUM SACRAMENTUM non poteſt aſſervari in Oratorio cum licentia Epiſcopi. 43. 56. 57.
Sacramentum Pænitentiæ, & Euchariſtiæ. V. Oratorium.
Sepulchrum pro Patronis haberi poteſt in Oratorio publico. 39.
Jura Parochi circa ſepulcrum patronale. 39. 40.
Servitutes publici Oratorii quæ. 9. &c. 13. 17. 149. 150. 151.
Qua-

Quatenus eæ poſſint permitti. 11. &c. 17. 149. 150. 151.
Simonia cavenda circa alienationem Oratorii publici, & rerum Eccleſiaſticarum. 121. 123. 124. 126.
Simoniæ circa alienationem Juris patronatus pænæ. 126.
Societas, ſeu Sodalitium. V. Confrater. Confraternitas.
Societas Mortis. 109.
Solemnitates Veſperarum, Miſſæ, Feſti S. Titularis, &c. peragi poſſunt in Oratorio, inconſulto Parocho. 53., & alibi.

V.

Veſperæ ſolemnes licitæ ſunt in Oratorio ſine licentia Parochi in Feſtis. 48. 49.
Via publica quæ. 5. 144.
Viſitatio Oratorii. V. Dos. Oratorium. Privilegium.
Viſitant Epiſcopi Oratoria publica. 131.
Regularium Oratoria ruri conſtructa, & Campanam habentia non habere Epiſcopos jus viſitandi, aliqui ſentiunt, niſi ſint extra Clauſtra. 139.
In viſitatione quid cavendum. 161. 162.